דרכי
הנקוד והנגינות

המיוחסות

לר׳ משה הנקדן זצ״ל

כפי אשר הדפסו בראשונה ע״י ר׳ יעקב בן חיים סביב מערכת המסורה
בסוף מקראות גדולות משנת רפ״ו לאלף הששי ·

הועתקו בהגהה מדויקת עם הוספת מראה מקומות הפסוקים ואיזה הערות מבארות

לכבוד

אדמו״ר מהור״ר **יצחק בערנייז** נרו יאיר לעד

חכם דקהל אשכנזים בהאמבורג יע״א

ליום שמחת לבו

יום מלאת לו כ״ה שנה על משמרתו משמרת הקדש בק״ק הנ״ל

ע״י

תלמידו

זלמן פרענסדארף סג״ל

פה ק״ק

הנובר

בשנת תרבה לפ״ק

DE

PARTICULAE HEBRAICAE

כי

ORIGINE ET INDOLE

COMMENTATIO

QUA

SOCIETATI HEBRAEO - PHILOLOGICAE JUSTUM
DUODENARIUM NUMERUM IMPLETUM

EX ANIMO GRATULATUR

M. GUSTAVUS MAURITIUS REDSLOB

IN ACADEM. LIPS. PRIV. DOC.

LIPSIAE

APUD HENR. WEINEDEL

1835.

VIRIS HUMANISSIMIS ET DOCTISSIMIS

SOCIETATIS HEBRAEO-PHILOLOGICAE SODALIBUS

Lud. Herm. Schlosser, Megalo-Zschocherano,
Laurent. Völker, Kitzingensi,
Jul. Petzholdt, Dresdano,
August. Schmidt, Stockholmiensi,
Henr. Theod. Naumann, Zschopaviensi,
Ottoni Kreussler, Lipsiensi,
Frid. Guil. Tittmann, Döbelénsi,
Maur. Fern. Grübler, Ziegenhainensi,
Joh. Leonh. Hoffmann, Ansbacensi,
Ed. Henr. Ficinus, Dresdano,
Car. Volm. Stoy, Pegaviensi,
Ad. Rob. Albani, Königsteinensi h. t. Sen.

HUNC LIBELLUM AMORIS TESTEM ESSE VOLUIT

AUCTOR.

VIRI HUMANISSIMI,
SODALES AMICISSIMI.

Laetissima mihi hoc tempore data est scribendi occasio. Nam ante hos fere duo annos, quum linguae Hebraicae studium vel negligi a plerisque vel certe non ut par est florere dolens, remedium in sola ea re conspicerem, ut hujus linguae in gymnasiis futuri magistri non, ut fit, aliquam partem praeceptorum, quae libris grammaticis continentur, nossent, sed institutione grammatica ita imbuti essent, ut causas et rationes earum rerum, quas grammatica docet, perspicerent, et maxime admirabile illud punctationis textualis systema, cui formarum grammaticalium doctrina imposita est, cum causis suis in sucum et sanguinem vertissent; factum est, ut invitati a me ad exercitationes grammaticas de lingua Hebraica illum ipsum in finem habendas, mox satis multi adessetis et societatem hebraeo-philologicam coiretis, cujus vincula etiam nunc firmiter cohaerere vehementissime gaudeo. Memineritis illo tempore me non esse eum, qui vanis pollicitationibus de

facilitate, dulcedine rapidoque successu Vos lactare vellem. Aperte Vobis declarabam, quae hujus linguae difficultas atque severitas esset; dicebam, lautam quidem opiparamque coenam exspectandam, at non mollibus appetitibus muliebrique cupediae accommodatam, sed virili palato dulcicula respuenti destinatam; non reticebam, ea via, qua Vobiscum incessurus essem, non aliquot mensium negotiolum sed plurium annorum laborem esse suscipiendum, quibus, occupati putaminibus perfrigendis, ad nuncleum ipsum vix Vobis videremini penetraturi: ita ut deterrere magis quam allicere sine dubio visus sim. Et quum voluntatem satis laudabilem elementorum molestiis reprimi plus semel expertus essem, quamquam Vos propositi tenaces viderem, tamen de prospero successu incepti operis non ambigere per aliquod tempus non potui. — Deinde, quum de sodalium numero, qui hujus nostrae societatis summus esset, consuleremus, et ego sponsam Sulamiticam nunquam tot inventuram esse amatores existimans, denarium numerum non transgrediendum censerem, Vos, aliarum societatum, quae in studiis ecclesiasticis vel etiam scholasticis versantur, exemplum imitari et duodenarium numerum statuere maluistis. — Utrumque praeter spem mihi evenit. Stat societas nostra, et numero, qui a

Vobis summus statutus est, tertio jam semestri est assecuta. Gratulor mihi hanc rem, quae documentum esse videtur, et in nostra academia studia ab ipso vitae commercio et lucro aliquantulum aliena seculi nostri conatibus nondum esse suffocata, et forte etiam, esse in lectionibus meis praeter rem ipsam aliquid, quo viris Vestrae indolis satisfacere videar. Sic nihil magis possum cupere, quam ut, quomodo auspicia et incrementa ceperit, ita etiam posthac Vestra mecum consuetudo et amicitia in nostrum utrorumque commodum floreat.

In describendis notionibus, Comm. Hum., quae singulis vocabulis linguarum comprehenduntur, non facile potest difficilius negotium inveniri, quam descriptio earum notionum, quarum enuntiationes particulae vocantur. Qua de causa in lexicis de nominibus et verbis jamdudum prospero successu disputatum est, cum particularum tractatio perquam manca et arbitraria remanserit et recentioribus demum temporibus in nonnullarum linguarum lexicis ita coepta sit, ut rationi magis sufficeret. Cujus majoris difficultatis causa in eo sita est, quod nominibus et verbis longe maximam partem res significantur, quae tum, quia sensibus se praebent, jam per se vividiores notiones admittunt, tum, quia notiones verborum nominumque ex rerum visibilium ordinibus accipiuntur, non vero ex ingenio humano formantur, ad certos hominem terminos adstringunt indolique singulorum populorum non adeo multum permittunt. Nam ut rerum natura sibi constat hominisque cum ea commercium ubivis locorum temporumque in universum idem est, ita etiam in quavis lingua fere semper earundem rerum et conditionum nomina habes, quae alterius linguae nominibus respondent. Accedit, quod horum vocabulorum unaquaeque lingua necessario largam copiam effinxit ideoque in iis transferendis ad improprium usum fere semper delectum commodum praebuit, ita ut rarissime in aliqua lingua tam multiplex et artificiosa nominum ac verborum translatio facta sit, quam alienigena facile sequi non possit, vel cui etiam in sua lingua non similem habeat.

Aliter se res habere solet in particulis, ut quarum maxima parte non quae sunt fiuntque ipsa designentur, sed modi et rationes rerum i. e. formae intuitionis s. perceptionis humanae. Nam etsi naturae rerum hoc sit tribuendum, ut singulas res ita dispositas nobis offerat, ut simul nobis ansa data sit ad quaerendas et animadvertendas rationes, tamen illae

rationes ipsae a sola mente humana inveniuntur et ad res quodammodo adduntur. Et quamvis in cogitando etiam et cognoscendo omnes iisdem legibus necessariis adstricti simus, quis est tamen qui nesciat, quam negligentes et praeposteri rerum contemplatores et judices esse homines vulgares, quales fuerunt linguarum auctores, soleant, et quanta crux philosophorum ad hunc diem fuerit, harum legum conscientiam ad sufficientem claritatem evehere. Qua certe eadem obscuritate laborantes linguarum auctores maxime in ea re peccarunt, quod omnes rationes modosque rerum ex rationibus sive categoriis existentiae, *) loci et temporis derivarunt, sensu magis quam cogitatione ducti, quanquam in derivatione ipsa admirabile ingenii humani acumen ubique elucet. Processu temporis vero eadem titubatione huc illuc jactati, ex illa materia, qualiscunque erat, unusquisque populus sibi eam molem composuit et exstruxit, in qua unicuique cogitatiuncularum instrumento et supellectili locus suus esset; quo in negotio mens humana id quod clarae rectaeque cognitionis deerat, lusu, ut ita dicam, ingenioso supplere et resarcire voluisse videtur, cujus artem subtilemque complicationem perspicere difficultatem interdum vix superabilem objicit.

In Hebraicarum particularum vi indoleque definienda minus offendit, qui aliarum linguarum proprius est delectus et acuta distinctio, quam potius paucitas et significationis ambitus. Nam Hebraei, in cogitando et loquendo simplicissimi et artis subtilioris ignari, rationes illas, quae inter res intercedunt, minus accurate observabant, multa discrimina, quorum observatio nobis longe majorem particularum copiam dedit, negligebant, in declinandis variandisque cogitationum formis, quod studium diversos particularum ordines provocat, minus exercitati quam aliae gentes erant, et omnino vix ultra eam intuitionem, quae sensibus fit, excesserant, certe intellectualis intuitionis formas perquam obscure et mance sive cogitabant sive exprimebant. Itaque nos, qui longe accuratiore, subtiliore et artificiosiore cogitandi modo imbuti sumus, ad

---

*) Verbum quod intelligitur melius est quam Ciceronianum.

eorum simplicitatem vix regredi possumus. Ut imagine supra allata utar, quum nostrae linguae copiosa particularum supellectile ita repletae sint, ut unumquodque negotium peculiare suum instrumentum huic fini destinatum et adaptatum habeat, Hebraica lingua parca et rudia instrumenta praebet, quae multis negotiis simul inserviunt, quorum autem structura specialibus finibus non adaptata est; quo fit, ut nos artificiosioribus instrumentis adsueti illa tractare vix possimus.

Quae quum maxime in particula כִּי appareant, non superfluum videtur, ejus indolem describendi et explicandi periculum facere, quanquam coactum me video, a viri in his studiis facile principis, Gesenii, auctoritate discedere, quam quanti habeam Vos ipsi VV. Amiciss. optime scitis.

Nam quae nunc feruntur de vi particulae כִּי sententiae, omnino duae sunt. Altera vim propriam et originariam ponit in notione relativa, altera, cui nos addicti sumus, in asseveratione s. affirmatione. Ut vero Gesenio in universum hoc est tribuendum, quaecunque doceat, egregio eum acumine et blanda elegantia proponere, ita speciatim in exponenda et defendenda priori de nostra particula sententia talis est, ut, qui praeter eum idem negotium susceperint, refutatione vix egere videantur.

Originem nostri vocabuli Vir Ill. ponit in pronomine relativo. Et profecto, si originaria vis relativa esset, minus in particula relativa, quam in pronomine relativo statuenda videretur. Hoc enim pronomen, dum notionem relativam naturae nominum substantivorum et adjectivorum adaptat, inter reliqua vocabula, quibus notio relativa inest, ad primam indolem auctorum linguarum eorumque intuitionem proxime accedit et eam notionem in forma concretissima exhibet. At Virum Ill. ipsum sibi non satis constare video. In lexico manuali p. 111 ad אֲשֶׁר adnotat: „אֲשֶׁר pariter atque reliqua pronomina relativa antiquitus vim demonstrativam habuisse videntur“ et p. 112: „Significationem quod attinet, hi falli videntur, qui merae relationis potestatem primariam putant: in omnibus enim linguis relativa paucis mu-

tatis ex demonstrativis (aliquoties ex interrogativis) orta sunt." Ideoque ei aut כִּי excipiendum videbitur, aut regula mutanda. — Porro Vir. Ill. de particulis in grammatica praecipit §. 97: „Die Partikeln — — sind ihrer Natur nach in der Sprache später entstanden als Nomina und Verba. — —, Es giebt daher, mit wenigen Ausnahmen, keine primitiven Partikeln. Sie sind ihrer Entstehung nach — — von andern Redetheilen entlehnt — — oder abgeleitet — —, aber meistens durch Verkürzung mehrfacher Art, wobei die ursprüngliche Gestalt so unkenntlich und zweifelhaft geworden ist, daß sie von den meisten für primitiv gehalten werden." Quod si primitivas voces eas esse dicimus, quae originem suam et aliarum vocum in se continent, ideoque praeter aliquas interjectiones forte nulla particula pro primitiva certo declarari potest, recte fecit vir Ill., quod originem nostri vocabuli, quod omnino praeter aliquos incertae interpretationis locos revera particula est, in aliqua voce, quae non particula esset, quaesivit. Quum vero particularum ex pronominibus derivatarum nulla exempla haberet nisi זֶה et אֲשֶׁר, quae, quia serioribus demum temporibus, quibus Hebraeorum cum Indis Romanisve certe nullum linguarum commercium erat, ex aliis orationis partibus factae sunt, originem suam mere Hebraicam clare ostendunt, quumque reliquae etiam particulae omnes, quarum origo indagata esse videtur, eandem ob causam per ipsam linguam Hebraicam satis expediantur; Viro Ill. sine dubio erat cavendum, ne originem ex pronomine vindicare studeret alicui particulae, cujus forma et significatio tam insolitae derivationi non admodum faveret. Saltem necessarium erat, ut originem particulae כִּי in Hebraico aliquo pronomine quaereret, haud vero aquas Siloae ex Tiberi et Gange repeteret.

At omnis res vel per se spectata mihi non admodum arridet, quanquam nostra aetate satis magnam partem eorum virorum, qui scrutandis verborum etymis occupantur, cum quadam liguritione pronominum vetustorum formas aucupari ex iisque ut ex pusillis fonticulis strepentes amnium fluctus derivare video. Nam quum formae pronominum ipsae maxi-

mam partem tam breves sint, ut saepe una tantum litera constent, quid potest effici variatione, emollitione aliisque rebus omnibus, quas ad variandas vocabulorum formas in linguis omnino efficaces fuisse videmus? Porro flexio horum pronominum legibus, quibus nominum verborumque declinatio continetur, parere minus solet, quae potius multo liberior ac violentior est, ita ut quaenam pars vocis prae reliquis originem vocabuli contineat, cognoscere non possis, et ex omnibus omnia effingere haud difficile sit. Et quis est quin intelligat viros doctos in hoc opere multum halucinasse et cum aliquo jure risum contra se doctrinamque suam movisse? Quae studia etymologica nuper acrius in lingua Hebraica exercita ut lucem suam, ita etiam somnia sua secum huc tulisse non posse negari videtur. — Quam lubricum per pronominum etyma iter sit, ni fallor, etiam cautissimi Gesenii exemplum docet. In grammatica (ed. 11 pag. 70), ubi de origine pronominis primae personae disserit, non solum copticum *anok*, sed etiam sanscritanum *aham*, graecum *ἐγών* et germanicum *ik* confert. Sine dubio haec collatio propter formae אָנֹכִי (quam in lex. loco suo et in gramm. p. 74 originariam et integram vocat) consonantem facta est palatinam, ut his vocibus omnibus communem et partim solam propriam. At nonne eadem consonans in pronomine secundae personae Semitarum et Coptarum praevalet? Porro ad formas breviores (אֲנִי, נִי) ־ִי confert illud *i*, quod ex vulgari Germanorum idiomate pro ich dicitur. At hoc *i* Germanicum ante literam palatinam positum est et literae *ἐ* in Graeco *ἐγώ* convenit, cum illo vero ־ִי Hebraico post palatinam posito, quod etiam a Coptica, Graeca et Latina lingua plane abest, nihil commune habet. Quid, quod eandem vocalem in multis aliis pronominum formis redire, contra in formis pluralibus ipsius pronominis primae personae, neglectis כ et י, solam consonantem נ pronominis indicem videmus? Quid tandem de voce כִּי dici possit, quippe ex כ et ־ִי composita?

Alia res, quae omnes deductiones ex vetustis pronominum formis, ubi non satis perspicuae sunt, mihi valde

suspectas reddit, est arbitrarius et vagus notionis conceptus, qui cum voce pronominis conjungi solet. Si in pronomine personali secundae personae et in pluribus monstrativis aliisque nonnullarum linguarum pronominibus literam *d*, *t* redire videmus, ideoque in ea aliquod *στοιχεῖον* pronominum certe non sine omni ratione ponere videmur, non licet hanc rudem formam ipsam pronomen appellare. Nam cujusmodi pronomen volumus esse? Omnis generis? Imo nullius. Quis enim aliquod eorum priscorum thematum fictarumque stirpium, ex quibus postea verba nominaque facta sunt, ipsum verbum aut nomen nuncupare audeat? Verum autem omnino sic ludere etymologi consueverunt; prout ipsis commodum est et idoneum, illis pronominum germinibus vim quamlibet tribuunt, omnia turbant et confundunt.

Denique omnis ea opinio, quae pronominibus aetatem prae reliquis verborum ordinibus vetustam tribuere vult, quotcunque et qualescunque ejus asseclae sunt, nil mihi esse videtur nisi gravis error. Nam quod pronominum formae omnino perbreves esse solent, nonnisi eidem brevitatis studio iisdemque omnino causis adscribendum est, quibus et particularum formae decurtatae sunt, ut sat multa exempla luculenter docent. Nam egregie falluntur, qui pronominum notiones simplices vocant, quae potius multa abstractione comparatae sunt, et sine dubio ad novissimas orationis partes pertinent, quae a veteribus effictae sunt. Certo plures pronominum classes seriori tempore effictas esse ab omnibus concedendum est. Possessiva post personalia demum efformari potuerunt, et eo quidem tempore, ubi jam de singulis pronominum personalium casibus per peculiares formas distinguendis cogitatum erat, quamobrem in pluribus linguis etiam satis excultis plane absunt vel originem suam ex genitivis personalium in fronte gerunt. Omnia autem demonstrativa, interrogativa, articulus, indefinita, maxime vero relativa et quaequae eorum nomina sunt, nisi adeo ex aliis oriunda nominis ordinibus, mediate vel immediate ex pronomine personali tertiae personae (sine dubio simul et

ab initio ad monstrandum adhibito), facta sunt, certe tum demum cogitari potuerunt, postquam homines notionem hujus pronominis jam conceperant. Nam omne pronomen, quod non est personale, duplex elementum habet, illud personale s. substantiale (ad ipsum עֶצֶם rerum spectans) omnibus commune, et suum proprium, v. c. demonstrativum, interrogativum etc. et eatenus tantummodo pronomen appellari potest, quatenus pronominis personalis notionem in se comprehendit. Ridiculum enim est, ex obiter inspectis formis vocum externis, nulla ratione notionum, quae vocibus insunt, habita, in hac re aliquid statuere. Sed ut ad omnes linguarum origines vix potest descendi tutius quam sub auspiciis Hebraei sermonis, sic etiam in hac re. Nonnullae pronominum classes in sermone Hebraeo nondum effictae certis aliis nominibus exprimuntur. Quae adsunt articulus, demonstrativa, interrogativa, relativa fluctuanter vel usurpantur vel priscum usum fluctuantem imprimis personalem clare ostendunt. Tum vero cum הוּא (vel זֶה) componuntur, quasi extra hanc compositionem non vera et integra pronomina sed tantummodo notulae et rudia elementa sint. Hoc vero antiquissimum omnium pronominum הוּא, הִיא, quo homo indiguisse videtur, simulatque ejus mens primo suo negotio attendendi ad res externas seque ab iis distinguendi fungebatur, neque est primitivum neque originem habet in aliqua primaeva lingua, sed est purum putum Hebraeum. Quid enim esse posset, nisi forma verbi הָוָה, הָיָה? Cujus verbi futur. apoc. יְהוּא Koh. 11, 3 et יְהִי eandem formam ostendit. Nomen יהוה (ens *κατ᾽ ἐξοχήν*) in nominibus propriis compositis sonat יְהוֹ, יָהוּ, nomen proprium regis est יֵהוּא, pronomen הוּא pro verbo הָיָה ut copula logica usurpatur, etiam ubi subjectum propositionis pronomen secundae personae est (Zeph. 2, 12. chald. Dan. 2, 38. Esra 5, 1). Etiam in Graeca, Latina et Germanica lingua sunt ejusdem nexus inter pronomen substantivum tertiae personae et verbum substantivum certe vestigia. Quod non mirum. Nam quum omnino homo eorum, quae extra ipsum sunt, prius conscius fiat, quam sui ipsius; id tantummodo ei existere et esse

videtur, quod extra ipsum est. Et quum per pronomen tertiae personae omnia quaecunque sunt indicantur, quodnam aliud praedicamentum adhiberi potuit quam illud generale omnibusque commune realitatis, existentiae *)? Quodsi verbum הָוָה, הָיָה ipsum emollita et recentior forma est verbi חָוָה, חָיָה *vixit*, et forte verbum חָוָה cum aliis proprie *flandi* significationem habuit, itaque ne ipsum quidem, quale nunc est, ad illam primaevam aetatem pertingit, qua Hebraeis cum Indogermanis linguae commercium erat, quid statui potest de pronominis הִיא aetate, quid de reliquorum pronominum, quid de pronominibus relativis **)? Ergo כִּי non est proprie relativum pronomen, quia pronomina relativa omnia nonnisi derivata esse possunt, vel si relativum est, non est vox originaria. Quidquid vero proprie est, sive particula sive pronomen, in sola Hebraea lingua origo ejus quaerenda est. Sed ne ante causam cognitam judicare videamur, audiamus quibus argumentis Vir Ill. sententiam suam fulcire studeat.

Primum quod affert, est complurium linguarum convenientia in sono, quae tamen per se non ita magna est.

---

*) Ita tamen, ut tam abstracte hoc primitus cogitatum esse nequaquam arbitremur. Sic etiam in posterum nunquam volui, linguarum auctores i. e. priscas generationes vel eadem abstractione vel eadem distincta conscientia qua nos in lingua tractanda versatos esse, qui potius, ut hodiernum vulgus, ratione sua nescii ducti sunt.

**) Itaque abeant maxime Sanscritani, qui doctrinam suam ne ad Graecam quidem Latinamve linguam satis commode applicare potuerunt. Contineant se, rudissima elementa talium verborum et nominum afferre, quorum notiones ad sensum externum rudissimi hominis pertinent. Nam quid dicent, quod in linguis Indianorum Americanorum pronomen possessivum primae personae per *n* (cf. אֲנִי, נִ), secundae per *k* (cf. ךָ- ךְ-), tertiae per *w* vel *o* (cf. ו, וֹ) praefixum exprimitur (Ueb. d. ind. Sprach. Amerika's v. John Pickering, aus d. Engl. v. Talvj. Lpz. 1834 p. 16.). Quid ad Hebraicum propius potest accedere? Estne etiam hic nexus originarius? — Vir Ill. Ewaldus in grammatica minori (edit. secundo) in hoc comparandi studio eo processit, ut paene videatur, ac si nihil satis tutum duxerit, quod non ex lingua Sanscritana enucleaverit, etsi e linguis Semiticis ipsis sufficiens vel adeo clarior lux repeti potuerit. Sagacitas hujus Viri docti jam satis demonstrata est, quam ut hujusmodi documentis indigeat.

Nonne vero ea re offendamur, quod ne ulla quidem Semiticarum linguarum simile quidquam praebet? cur subsidia sua aliquis undique terrarum comportare malit, quam silentio linguarum affinium aliquid momenti tribuere? Praeterea quae ex illis linguis collata sunt, maximam partem in sola litera palatina vel affini conveniunt. Quod vero ad hanc literam attinet, eandem in pronomine personali primae personae et suffixis secundae personae habemus. Nonne potius cum his cognatio voci adjudicanda videbatur? Latinorum *qui*, quaequae ejus origo est, vim relativam, ut persicum كه, كى et sine dubio reliqua quae collata sunt omnia, ex interrogativa accepit, quae formae et significationis mutatio longe seriori tempore facta est, quam quo linguae Semiticae ab Indogermanicis separari coeptae sunt; quam ob causam Latina lingua in hac re ne cum Graeca quidem congruit*). Quomodo vero Hebraeis, multis saeculis post usui relationis non admodum adsuetis et inhabilibus, aliquod pronomen relativum ex priscis illis temporibus superfuisse posset? Certe, si nexum originalem illarum vocum concedendum duceremus, sic quoque primaria vocabuli potestas nonnisi significatio demonstrativa vel personalis constituenda esset.

Porro Vir Ill. provocat ad aliquam necessitudinem, quae inter formas כִּי, הִיא, דִי, מִי intersit. Quae mihi reapse nulla videtur; nam vocalis *i* etiam in suffixo primae personae et in forma feminina pronominis secundae personae, quae huc trahi vix possunt, occurrit. Porro in pronomine הִיא vocalis *i* feminini signum est idem quod in אַתִּי, ܐܢܬܝܢ ܗܢܝܢ; דִי longe seriori tempore demum ex זֶה factum est, מִי vero hac eadem vocali differt a forma מָה paene ut masculinum a feminino. Quod autem consonantes

---

*) Linguarum occidentalium pronomina jam ita attrita eorumque formae tam breves sunt, ut de origine eorum vix quaestio relicta sit. Attamen ubicunque quaerenda est, nullus dubito, quin pariter atque Hebraicorum in notionibus per sensuum cognitionem acquisitis posita fuerit.

harum vocum attinet, habemus sibilantem, palatinam, dentalem, labialem i. e. elementa omnis sermonis paene omnia. Profecto tali modo particula כִּי, qualiscunque ejus est litera radicalis, aliquam affinitatem effugere non potest.

Tertium argumentum inde petitum est, quod כִּי ipsum sensu relativo adhuc occurrere videatur et reliquus usus vocum כִּי et אֲשֶׁר magnam partem sit idem. De qua re infra dicemus loco suo. Hic sufficiat monuisse, etiam particulam וְ in magna parte locorum pro כִּי et אֲשֶׁר ponere licere, nihilominus tamen cum persico کی, rabbin. די, german. wie non posse comparari.

Nobis vero contra omnem hanc sententiam grave argumentum suppeditatur eo, quod qui originem vocis כִּי e relativo petendam amplexi sunt, deductionem significationum facere non possunt satis adaptatam naturae mentis humanae et ei modo, secundum quem notiones sese gignere atque explicare solent. Duae maxime res huc pertinent. Inest particulae כִּי vis adversativa, ex qua locis suis per *sed* et similiter vertitur. Quam significationem non aliter quam ex vi causali particulae derivare studuerunt. Opponimus autem duas res ut sibi contrarias, quando alteram esse dicimus, non esse alteram. Hoc simplicissimum mentis humanae negotium multo prius exercetur, quam nexus causalis rerum percipitur et verbis exprimitur; itaque causalem ullius vocabuli usum adversativum post se traxisse, nullam veri speciem habet. Deinde ad expediendum eum usum particulae, quo praemittitur praedicato propositionis, nil possunt nisi vel, ut Winerus, ad ellipsin confugere per se improbabilem et artificiosam, maxime vero ab ingenio Semitarum alienam, vel, ut Gesenius, argumentum moliri, quod haud scio an nusquam in linguis locum habuerit, scilicet pronomen relativum abiisse in pronomen demonstrativum. De quibus disseremus infra. Hic tantummodo allata sunt ut, quidquid de nostra sententia, quam exponendam nunc aggredimur, statuendum alicui videretur, certe sufficiens causa fuisse appareret, ex qua alteram rejiciendam duxerimus.

Nos quidem, ut omnium pronominum et particularum, ita etiam particulae כִּי originem in ipsa Hebraeorum lingua quaerendam censentes, fontem ejus conspicimus in verbo כּוּן.

Vix opus videtur monitu, literam ן finalem saepius evanescere, ubi aliqua ratio breviorem vocabulorum formam vel requirere vel ultro secum ferre videbatur. Sic illam terminationem pluralis temporum verbi, quae proprii וּן fuit, Hebraei in וּ decurtarunt, abjecta litera ן finali, quam etiam Arabes tantummodo in Futuro raphato integram retinuerunt. Formae קְטַלְתֶּם, קְטַלְתֶּן ubi suffixa accedunt, fiunt קְטַלְתּוּ, terminatio dualis et pluralis in nominibus ַיִן, ִים, et ִין, ִים, (ـَا, ـُونَ, ـِينَ, ut ipsum כּוּן, קוּם), ubi nomen vel pronomen in regimine positum sequitur, transit in ֵי, terminatio Nominum וֹן fit וֹ, et plura his similia. Ne quis objiciat, hoc *Nun* esse formativum, non vero ut nostrum radicale. Nam etsi Nun radicale, ut facile intelligitur, minus saepe apocopatur, tamen non admodum rara apud ipsos Hebraeos abjecti Nun radicalis exempla sunt. Sic in nonnullis nominibus propriis בְּ ex בֶּן (alias ex בֵּית) ortum est, et in formis מִקְצָאת, מִקְצֵה aliisque locis ן particulae מִן per Dagesch forte non exprimitur, uti Arabes ex مِنْ et عَنْ fecerunt مِ et عَ.

Maxime observari potest, Hebraeos cum aliis priscis et recentioribus populis formam externam rerum ideoque vocabulorum suorum magis quam rationes internas indolemque respicere solitos, saepius formarum aliqua similitudine fortuita quasi deceptos binas formas confudisse. Quae major ad speciem externam animi attentio ut per totam linguam Hebraicam perspicua est, ita praeter alios errores etiam formas vocabulorum provocavit hujusmodi levitatem vel hebetudinem arguentes, formas dico, quas mixtas appellant. Ad nostrum argumentum pertinet, quod vocabulum אַיִן (أَيْنَ) *ubi*, si alia vox arctiori nexu adjungenda sequitur, ean-

dem breviorem formam accipit, quam dualis in statu constructo habet, ut אֵיזֶה, אֵיפֹה (cf. Ges. Gr. ed. XI. p. 258.), vel אַיִן, אֵין *non est* decurtatur in אִי, (cf. ar. مِنْ, hebr. מִנִּי) et alia. Quae res eo facilius fieri potuit, quo longius alicujus vocis significatio a significatione primaria recessit. Nam quo minor et laxior nexus inter significationem derivatam et primitivam fit, eo minus necesse est, ut origine et vi propria vocis retenta de sensu ejus certiores fiamus, eoque facilius negligimus vel obliviscimur propriam vim, dum sensus, qui inest, formam secum rapere videtur. Quae eadem causa est, ob quam vulgus, vocabulorum naturam minus curans, earum formas quoque maxime mutilare et deformare solet. Inter alias idem accidit particulae אַךְ ex אָכֵן decurtatae nostraeque vocis כִּי sorori. Nam originem ex verbo כּוּן paulum vel nihil ad intelligendam vim illius vocis suppeditare visam Hebraei vel non curarunt vel obliti sunt. Idem etiam nostro vocabulo factum esse eo minus dubitamus, quod ipsum verbum כּוּן apud Arabes tertiam suam radicalem vocali destitutam abjicere potest, ut pro يَكُنْ dicatur يَكُ *). Sic habemus formas cognatas hasce:

כּוּן: כֵּן כִּי כָּה (כֹּה **)) אַךְ כַּ· ***) כְּ

Postquam sic, formarum ratione habita nil nostrae sententiae obstare, satis luculenter demonstravimus ita, ut simul

---

*) Quo apud Arabes haec mutilandi consuetudo processerit, optime potest cerni in vocabulo أَيْمُنُ, ex quo fit أَيْمُ, إِيمُ, هَيْمُ, أَمُ, أَمَ, مَنَ, مُنَ, مُنُ, مِنِ, مُنِ, مُنْ, denique مُ, مِ.

**) Hoc הֹ pro הָ, אָ ex more Hebraeorum ad Syriasmum declinantium dictum esse videtur. cf. מַלְכֹּם, מַלְכָּם; nomina in וֹן et וָן; הוֹר, הָר; רֹאשׁ, רָאשׁ; פֶּה, فَ; זוֹ, ذَا; מוֹ, מָה; קֹטֵל, قَاتِل; סוֹבֵב, قَاتَلَ; יֹאמַר, يَأْمُرُ; et alia, in quibus omnibus rationem specialem vocalis O frustra quaeras."

***) כַּ· sic scriptum, quamvis articulus non insit, e. c. ante אֵת.

nonnullis forte jam nunc significationum nexus aliquantulum indicatus esse videatur, transeamus ad rem, quae maximi momenti et largissimae materiae est, videlicet ad quaestionem de ea ipsa notione, cujus cum aliis verbum etiam כּוּן particeps est. Quod quidem verbum, seu significationem seu formam spectare mavis, nil nisi emollitam formam verbi קוּם esse vix potest in dubium vocari, cujus etiam significationem propriam rudiorem, ad sensum externum pertinentem, illa formae mutatio simul mitigasse et intellectualem fecisse videtur. Originariam formam et potestatem minus in כון quam in קום esse id suadet, quod in universum prisci verborum soni, ut omnis natura priscorum hominum, horridi fuerunt, mitiores vero formae verborum a Gratiis et Musis doctae sunt. Ex voce קום autem כון declinata est ita, ut in fine ם in ן temperata sit (cf. פדיום, פדיון; שׂטם, שׂטן; ־ִים, ־ִין, ־ֵים, ־ֵין al.) simulque palatina initialis aliquid de duritie sua deposuerit (cf. קוֹבַע, כּוֹבַע al.). Non longius etiam notiones utriusque verbi ab se invicem recesserunt, quippe quae in verbo et derivatis passim eaedem sint. Sic Arabum مَكَانٌ est Hebraeorum מָקוֹם.

Notio *standi* a Semitis et Indogermanis duplici ratione spectata est, primo, ut *stare post motum ad quietem capiendam*, deinde, ut *stare post quietem ad motum incipiendum* significaret. Illa significatio praevalet in radice, quae etiam in linguis Indogermanicis ingenti numero verborum mater est שת *), haec praevalet in radice קם **) et aliis. Quan-

---

*) Vid. Ges. Lexx. sub יסד et שׂית. Praeter ea verba, quae Vir Ill. huic radici vindicat, alia esse videntur ex eodem fonte repetenda, ut שׁתל (*στέλλω*, stellen) de ponendis (نَصَبَ) i. e. plantandis arboribus usurpatum, שׁתם, שׂתם, סתם (stemmen, stopfen, stipo), שְׁתַק (stocken, *stagno*) שׁתה (*stamina posuit*, *στημονίζειν*) שׂטם, שׂטן (cf. קָם), שׁטר (*composuit librum v. cogitata* scribendo cf. שׁפט et עָרַךְ, Schriftsteller), et forte alia. Verbum שָׂרַד huc non pertinet, quum potius ligandi significatio ei propria sit, ad quam in Lexico non provocasse Gesenium miror.

**) Hujus radicis derivata rariora sunt. Praeter קום huc pertinere videtur שׁכם (cf. *ὀρθόω* et *ὀρθρεύω*) et חכם.

quam non potest negari, similitudinem utriusque status etiam in utriusque notionis verba eorumque usum efficacem passim fuisse (cf. אָמֵן أَمِنَ, סָכַן facta ex כּוּן, قَرَّ al.), tamen in universum observare licet, priorem notionem transiisse in *consistere, sedere, quiescere post opus et actionem* *), *denique statum sedatum, desidem, cessationem* expressisse, posteriorem vero notionem factam eam esse, ut *ex statu quieto se exigere, ad aggrediendum moliendumve quid accinctum, paratum et promptum esse* significaret et ad statum *strenuum, stabilem, firmum validumque* pertineret; quo facto transfertur ad omne id quod aliqua ratione *recte saneque se habet*, et notioni de ipso captae respondet *valetque*, ergo quod *integrum, solidum et verum, tutum et certum*, quod rebus vanis, inanibus et nihili oppositum est, quod *revera est*, *existit, est*, et, ut philosophorum verbis utar, *esse positive, realiter* **) dicitur.

Itaque verba huc spectantia accedunt ad vim verbi substantivi הוה, הָיָה, ita tamen, ut hoc verbum significationem *essendi* simpliciorem et magis sensu proprio habeat, illa vero, ut quorum origo non in simplici notione *standi*, sed *firmiter, erecte standi* sit, aliquid de hac primaria vi retinuerint et aliquam majorem vim et energiam habeant, *esse* quodam sensu potiori, eximio, significent ***).

Haec eximietas auctiorque potentia existendi est modo perfectior status qualitatum positivarum, i. e. bonarum, quia

---

*) Natura actionis in *motu* posita esse jam illis temporibus visa est, quamobrem *eundi* verba *agendi* significationem acceperunt. cf. praeter alia multa terminos grammaticos *moveri* حَرُكَ, נוּעַ et *quiescere* سكن, נוח.

**) Probe scio, philosophos inter realitatem i. e. existentiam ab omnibus empiricis (positivis) determinationibus immunem et positivitatem distinguere. Minus linguarum auctores in his rebus distincte cogitabant, quamobrem utraque nobis hic idem valet.

***) Quanquam apud Arabes verbum كَانَ ipsius verbi Hebraici הָיָה vice fungitur, in universum tamen horum etiam derivatis major energia inest, quam derivatis verbi הָיָה. — Verbum durioris formae חָיָה significat *vivere*, alium eximium modum existendi.

malum omne negativum habetur, modo ea, quam philosophi actualitatem h. e. veritatem vocant, et quae ipsi verbo הָיָה proprie et peculiariter infuisse paulatim vero evanuisse videtur *). Sic factum est, ut deos suos cum quadam excellentia sic appellarent, quasi ideas realitatis et entia absoluta (i. e. optima et verissima), ut יהוה ab הָיָה; כִּיּוּן (قَيُّوم, قِيَام, أَمِين, ἐπιστάσιος, ὀρθώσιος, stator?) a כּוּן; אֲשֵׁרָה, עַשְׁתֹּרֶת ab אָשַׁר, עָשַׁר, cf. הוּא de numine divino Deut. 32, 39. Jes. 43, 10. et in nonnullis nominibus propriis **).

Haec significationis primariae verborum *standi* translatio ad statum qualibet ratione rectum validumque in Graeca (cf. prae ceteris ὀρθῶς et quae cum eo cohaerent), Latina et Germanica lingua non minus perspicua, qua haec verba ad potestatem verbi הָיָה accedunt, et cujus ad hanc vim transitus in firmitate, durando (durum i. e. firmum esse, dauern, أقام;

---

*) Qualitates positivae a philosophis ipsis interdum realitates vocantur. Sic *ens realissimum* est, quod omnes qualitates positivas habet. — Egregie ex hac re elucet illud numen, quod in homine est, et conscientia quanquam subobscura, quod bonum tantummodo et verum nomine essentiae appellare volebant, falsum et malum nonnisi defectum, quasi negationem, esse existimantes. Attamen quodammodo, ne a diis ipsis haec notio facta esse videretur, sed etiam humani quid inesset ab animali natura sensibus obnoxia profectum, utilia quoque et suavia huc trahebant, quippe res finesque terrestres non minoris aestimantes quam coelestes.

**) Similia nomina numinis altissimi etiam apud alios eosque rudes populos inveniuntur. Nomen אֵל, אֱלוֹהַּ cum verbis אלה et אול cohaeret. Verba autem אָלָה, אָלַהּ, אוּל, אָלַל affinia esse, et ex notione *splendendi* (הלל) profecta esse, ideoque in universum indicare *quodcunque conspicuum et spectabile est* (cf. أَلَّ, آلَ), ex iis quae postea docebimus, forte verisimile fiet. Contra notio infirmi, caduci transfertur ad negationem et nihilum designandum, deinde ad id, quod vel vanum, falsum, fictitium, vel stultum et insipidum, vel improbum et malum est, quo facto Hebraei, veri dei cultores, idola, hujusmodi nominibus insignire solent cf. הֶבֶל, אֱלִיל (ab אלל — הלל sed de vano splendore et fallaci specie اظهر, رياء). Huc etiam pertinere videtur, quod Chaldaeorum בְּעַל prophetae, veri dei cultores, בַּל vocare amant, quo forte ad בְּלִי בַל alludere volunt.

währen, sich bewähren, bewährt, wahr seyn) est, in Hebraica lingua maxime accidit notionibus verborum קום (cujus cognata sunt שָׁכַם, חָכַם), כון (cujus cognata sunt תָּקַן, סָכַן, שָׁכַן, אָמַן, תָּכַן, יָגַן, כָּנַן), אָשַׁר (cujus cognata sunt עָשַׁר, כָּשַׁר, יָשַׁר), (יָמַן): quae omnia, una cum verbo הָיָה (cf. etiam יֵשׁ, תּוּשִׁיָּה) quomodo modo ipsa, modo eorum cognata vel synonyma *), modo in hac modo in illa dialecto (e. c. صدق = אמן Hebr.) sensu logico - metaphysico, juridico - morali et physico, aesthetico usurpentur, ex lexicis facile cerni potest.

Jam licet animadvertere, qualis nexus sit inter verba כון et אשר. Derivata verbi כון accedunt ad naturam pronominum demonstrativorum, imprimis כֵּן (cf. praesertim Aramaismum **). Ab אָשַׁר derivatur pronomen relativum, quod antiquitus et ipsum demonstrativum fuisse vix potest dubium esse (cf. ein solcher, — welcher propr. solicher, wielicher). Quum vero pronomen tertiae personae non minus cum verbo הָיָה cohaereat (v. supra), verisimile fit, omnia pronomina a verborum notionibus esse derivanda sc. ex verbis, quae *esse* significent.

Huc primo referimus verbum אָנָה, ex quo pronomen primae et secundae personae derivatum esse possit. Nam si pronomen הוּא et אֲשֶׁר Semiticae originis est, nonne multo potius pronomen primae et secundae personae? Attamen ne-

---

*) Praeterea juvat opposita conferre, quae jacendi, cadendi, abeundi, fluctuandi similesque significationes habent, ideoque ad defectum, absentiam, non - existentiam transferuntur, ut לָאָה, לָהָה *viribus defecit* (cf. defectus, Fehler, Mangel); *abiit*, *cessavit*, unde לא et desiderativum לוּ; הוּן, און *levis*, *non solidus*, *vanus*, *nullus fuit*, uude אַיִן negativum et desiderativum (interrogativum) cf. ما negativum et interrogativum; בָּלָה *concidit*, *collapsus*, *attritus*, *absumtus est*, unde בְּלִי, בַּל, cf. بطل ܒܛܠ aliaque.

**) כֵּן est particula similitudinis. Similitudo autem est identitas qualitatum, ex qua duo homines, quanquam sibi simillimi et plane aequales, tamen duo diversi homines sunt. Pronomina exprimunt identitatem substantiae, ex qua idem homo, qui in pueritia parvus, hilaris, pulcher cet. fuit, in senectute vero magnus, morosus, deformis factus est, tamen idem homo est, quanquam priorum suorum qualitatum nulla ei remansit. De hac re a linguarum auctoribus minus accurate observata posthac fusius disseremus.

gari non potest, horum originem non tam perspicuam esse, quam illorum. — Licet observare, utrumque pronomen simillimae formae esse. Habemus קָטַלְתָּ, קָטַלְתִּי (apud Aethiopes קטלךָ, קטלכוּ); אָנֹכִי et suffixa ךָ, ךְ praebent literam כ; litera נ est in אֲנִי et אַתָּה (reliqui Semitae habent אנת, Coptae *anok*, *antok*). Itaque licet conjicere, utrumque pronomen ab initio unum idemque fuisse et ex duobus colloquentibus alterutrum significasse. אֲנִי et Syr. ܐܢܐ commonefaciunt verbi אָנָה, cujus Pual significat *accidere factus est, obvenit, obtigit,* et Kal significasse videtur *tempestivus fuit, obviam venit, obtulit se, adfuit.* Itaque haec pronomina fortasse denotarunt utrumque, qui alteri *obvius, praesens, obstans, objectus, ante oculos positus* esset. Illud ת quod inest femininale esse potuit, ita ut אנת proprie esset vel *occursio* per abstr. pro concreto, vel *id quod occurrit, se offert.* De litera כְ quid statuendum sit nescio, maxime in אָנֹכִי. Estne fortasse *occursio tua, is qui tibi se offert* i. e. *ego?* Certe pronomen primae personae serius effictum esse quam secundae, necesse videtur. — Ad idem verbum אָנָה etiam particula אֶת, non solum ea, quae *una cum, apud* significat, sed etiam accusativi nota pertinet. Nam quum אנת id quod alteri *praesens* est et *objectum* significaret, non solum de societate usurpatum est, sed etiam de *objecto actionum.* Nam objectum actionis omnino est comes et socius personae agentis, deteriores partes agens, unde etiam verba, quae *agere* significant, cum בְּ et עִם construuntur (cf. nostrum mit Jem. übel etc. umgehen i. e. eum afficere male etc.). Et casus Accusativus Semitarum omnino proprie personam vel rem circumstantem et comitantem indicasse videtur, quapropter et casus adverbialis factus est, et apud Arabes copula و cum Accusativo conjuncta vertenda est per *cum, una cum, apud* (cf. etiam Hebr. וְ 1 Sam. 14, 18., quanquam Hebraei casum accusativum externa forma non distinguunt). Quo magis autem aliqua vox ab originaria significatione recedit, eo magis simul ab forma originali recedit, quamobrem accusativi nota formam אוֹת induit. Serioribus tamen temporibus, ubi ori-

ginis etiam alterius particulae oblivisci coeperant, etiam haec eadem via incedit, qua aliquot seculis ante illa praecesserat. Inter utramque formam eadem ratio est, quae inter radices ע״ע et ע״י, Piel et Poel; בָּתִּים et בַּיִת. Illud הַ praeformativum nominale sine dubio decurtatio hujus particulae est.

Deinde huc referenda sunt verba, qui *splendere* significant, a quibus in lingua Hebraica pronomina demonstrativa profecta esse videntur. Res quae splendent, hominis visui primae se obtulerunt et nomen dedisse videntur apparitioni (cf. ظهر *splenduit*, *apparuit*, *φῶς*, *φαίνεσθαι*, *φάσμα*, Schein, erscheinen [sehen, seyn*)?]); itaque *monstrare* est *facere ut quid alii appareat*, *φαίνειν*, *φαντάζειν*, أَظْهَرَ. Sic זֶה reducendum videtur ad זהה et אֵלֶּה ad הָלַל, cum quo verbo הלל etiam verba אלה, אול, אלל cohaerent, quae omnino *conspicuum*, *spectabilem esse* significant, quatenus non sunt denominativa. Notandum est, Arabes, qui ذو, أولو ut Hebraei suum איש, בַּעַל de iis usurpant, quae aliquam qualitatem habent, prae se ferunt et ostendunt (subjecta apparitionum), eodem sensu etiam adhibere vocabulum صاحب, quod similiter cum צהב, צחח cohaerere apparet. Itaque verba صحب et ولي pro denominativis erunt habenda, in quibus societatis notio eodem modo derivata est ex notione apparendi, contingendi, ut in verbo אָנָה, ex quo factum est אֵת *cum, apud.* Nam etiam verbum شَرِكَ emollita forma verbi شَرِقَ esse videtur **). צהל ex utraque radice conflatum utriusque pronominis demonstrativi elementa in se continet.

Pronomen interrogativum factum esse videtur ex verbo מָנָה *partitus est*, et quidem vel ex notione partis ipsa, ita ut מִן proprie sit i. q. بَعْضٌ *pars*, *aliquis* (cf. מִן partitivum), vel ex significatione *assignavit*, *contingere fecit*, unde מְנִי

*) Nescio an nostrum sehen eadem vox sit atque hebraicum זָהָה. Nam qualis sit inter splendendi et videndi notiones nexus, monstrant verba: *λευκός*, *luceo*, lugen; weiß, wissen, *video*.

**) Etiam verbis صهر et ظهر propinquitatis, praesentiae notio inest.

fatum, fortuna, quod se offert, cf. בדק propr. *fidit*, apud Syros *inquisivit, exploravit, cognovit*. Pa. *detexit, manifestavit, indicavit, designavit*. Ethpa. *manifestavit se, apparuit*. Kirsch. Chrest. ed. Bernst. p. 100 l. 3. Bar-Hebr. Chron. p. 522 l. 5.*) Nunc licebit, tabula subjecta radicibus dictis suis quasque junctas adhibere pronominum formas, ita ut cum iis, occasione data, etiam alias quasdam comparemus.

---

*) Voces interrogativas אַיִן, אֵי, אַיֵּה, أَيْنَ ex radice הרן, אוּן profluxisse ideoque cum אָוֶן, אַיִן et אֵין, אֵי cognatas esse, jam supra statui. Nam quod quis quaerit, id desiderat, quod desiderat, abest, non est. Qui quaerit, per actionem suam ipsam dicit أَيْنَ; מִי יִתֵּן, לוּ יֵשׁ. Inde etiam cognata sunt לוּ et לֹא et pronomen מָה ما interrogative et negative usurpatur.

1. הוה He mob. Vav quiesc. : ־ֵה ־ָה הָ הוּ הִיא הוא (fem.) *)
־הּ ־ָהּ ־ֹהּ (suff.) הֲ הַ הֶ (interr.)
2. ...... He occult. Vav mob. : וְ וָ וּ (copul.) יְ (praeform.)
3. כון : כֵּן כִּי כֹּה (כֹּה) אַךְ כִּי כְּ כָּ בְּ
4. אשר : אֲשֶׁר שֶׁי שַׁ שֶׁ
5. אנה : (אָנֹת) אֵת אַת (אוֹת אֵת) תְּ (praeform. nom.)
6. ...... : (אָנֹת) אַתְּ אַתֶּם אַתָּה אַתְּ ־תְ ־תִּי ־תֶּם ־תְּ תְּ (praef. fut.) דְּ דָ
7. ...... : אָנֹכִי אֲנִי (אֲנָא ar.) ־תִי ־נִי ־ִי **) אֶ (praef. fut.)
8. ...... : אֲנַחְנוּ נַחְנוּ אֲנוּ ־נוּ (נָא ar.) נְ (praef. fut.)
9. זהה : זוּ (דִּי) זֶה (דה) זֹה זוֹ זָ (aeth.) זְ (הַלָּז) (דְּ) ***)
10. הלל : אֵלֶּה (לְהוֹן syr.) אֵל, הֹל (אַל artic. arab.) הֵ הָ הַ
הַ (artic.)
11. ...... : אֵל אַל לֹא לֵ (לָמָּה) לַ לָ לְ
12. מנה : (מַן) מִי מֶה מָה ****) (מוֹ) מַי (מַזֶּה) מָ (מְקוֹם) מָ
מְ (praeform.)
13. ...... : (מִן) מִן מִי מְ (מִקְצָה)
14. פנה : (פָּנֶה) פֶּן פִּי (arab.) פֹּה (אַתְּ) פָּ s. פְּ arab.
15. בנה : בֵּן בְּקֹד בְּ
16. ...... : (בְּנֹת) בַּיִת, בַּיִ בֵּי (aram.) בָּא בִּי (arab.) בַּי בֶּ בָּ בְּ

Post hanc digressionem redimus ad argumentum ipsum. Priusquam vero ad quaestionem de particula כִּי ipsam per-

---

*) He fem. nil est nisi pronomen tertiae personae feminini, significans *ea*. Sic Angli dicunt *the friend*, amicus, *the she friend*, amica, *the slawe* et *the she slawe*, Germani ex *cat* (catus) fecerunt Kater, Katze, probabiliter *cat-Er*, *cat-Sie*, cf. angl. *gander*, *goose*, Ganer, Gans, Farr, Färse.

**) In Corano saepe hoc suff. per solum Kesre defectivum scribitur; apud Syros per solam consonantem Jod vocali destitutam scriptum in pronuntiando vix auditur.

***) Huc etiam pertinet אֶז formam radicis cognatae אזה sequens.

****) מְאוּמָה huc non pertinet, sed est potius nomen מְאוּם, מוּם (a radice אוּם = הוּן? cf. أَيْم quod Dscheuh. dicit esse i. q. عَيْب *vitium, defectus*, إِيَام *fumus*), itaque *res minutissima* (*point*, Versehr), ut in aliis linguis hujus generis multa. לֹא מְאוּמָה non est simpliciter *non quidquam*, sed *ne minimum quidem*, *ne gry quidem*, *ne umbra quidem*.

venimus, in universum quaerendum est de stirpe כּוּן ejusque derivatis, ita tamen, ut magis nexum notionum explicemus, quam singularum significationum exempla demus. Stirps כּוּן ipsa, ut ex conjugationibus derivatis conspicitur, apud Hebraeos non ut apud Arabes simpliciter *esse* significat, sed notiones comprehendit has: *erectus stetit*, *firmiter stetit; stabilis, firmus fuit*, *valuit*, *bene se habuit recteque; rectus, certus*, *verus*, *solidus fuit; bene comparatus, promtus, in promptu*, *revera fuit*, et a simpliciori הָיָה interdum simili modo differt, ut Latinorum *valere* *) (quasi valde i. e. valide esse) ab *existere* et *esse*. Nomen מָכוֹן quamquam ut מָקוֹם unumquemque locum, quo quid est et existit (كان), significare videtur, tamen proprie et saepiua est locus, quo quid firmum stat v. firmiter stat et nititur, itaque etiam *basis, fundamentum*, sicut מְכוֹנָה, מְכוּנָה, תְּכוּנָה et כֵּן ad modum verborum ע״ע flexum.

כֵּן vero ad regulam verborum ע״י flexum est ὀρθός, *rectus*, *firmus*, *stabilis*, *integer*, *verus*, *aequus*, *solidus* (לֹא־כֵן *vanum*, quod non est stabile sed evanescit, *inane*), itaque adverbialiter ὀρθῶς, affirmative (positive) et comparative, *re-*

---

*) Nescio an nostrum germanicum können i. e. im Stande seyn (*parem esse*, *eum esse qui*) eadem plane vox sit atque Hebraicum כּוּן, Graecum γένω, Latinorum *queo*, quod antiquitus *quino* audivit (Liv. in Odyss. ap. Festum: *in Graeciam redire nequinont*). Nam (firmiter) standi et existendi notio saepius transiisse videtur in notionem praestandi (*valere* omnino et *valere quid*, bestehen et etwas bestehen), idque, modo de valetudine mentis (γνόω), modo de corporis, modo utriusque δυνάμει. Cfr. Hebr. שָׁפַט, שָׁטַר حصى IV. מָשַׁל (pr. stetit; posuit, composuit. مثل بين يديه) שָׁוָה, חָכַם cohaerens cum קוּם, مكن derivandum a مَكَانٌ (cf. محل a محال, حال, مدن a مدينة, دان.) (cf. kennen, können, Kuning, Kunst) ἐπίσταμαι, ἐπιστάτης, verstehen, كَانَ Koran 12, 43 et in phrasi مَا كُنْتُ لِأَفْعَلَ ذَلِكَ, οἷον εἶναι (certo modo dispositum et comparatum esse). — Opp. לָאָה, לָהָה, unde לא, *alicui* rei impar, *impos*, *impatiens fuit*, cf. חָדַל, שָׁבַת, *deficere* al.

cte, aeque, probe, vere, sane, revera, ita, sic (אָמֵן, ὥς, οὕτως). Quarum significationum nexus pluribus linguis communis paulo accuratius mihi hoc modo explicandus videtur.

Primo quidem homines eas tantummodo res, quas in rerum realium s. existentium natura revera esse immediate animadvertebant, veras et certas appellarunt. Postea vero, quum perceptiones sensuales rerum existentium memoria jam tenerent et experientià certiores facti essent de existentia rerum aliquando perceptarum, quamvis eas unoquoque temporis momento percipere non possent; ejus, quod existeret s. verum certumque esset, conscientia orta est, ad quam in exploranda et statuenda veritate certitudineque rerum existentium provocare saepissime coacti, mox ei provocationi adsueverunt illamque conscientiam quam rerum realium naturam judicem veritatis appellare maluerunt. Et hoc quidem recte. Nam, id quod ipsi non intelligebant, etiam rerum existentium veritas et certitudo eo tantummodo nititur, quod res sensibus perceptae in conscientiam recipiuntur et a nobis ipsis eatenus pro revera existentibus habentur, quatenus perceptio earum in conscientiam nostram transiit; namque a nostris nos sensibus conscienter usurpatis in ea re falli persuadere nobis non possumus. Huc accedit, quod etiam notiones revocabant ejusmodi, quas quanquam aliquando sensibus acceptas, tamen hoc modo acceptas esse ne recordabantur quidem; atque etiam ideas sensim concipiebant, quae, ex sensuali perceptione non profectae, absolutam persuasionem de necessitate sua non minus quam illae procreabant, sc. ideas transcendentales vel quae pro transcendentalibus habebantur, licet empiricae essent vel adeo imaginariae.

Sic a natura ipsa ad conscientiam suam ducti, quidquid in ea esset et locum haberet, intelligentes verum et certum esse, id etiam ipsum, quod in conscientia erat, verum et certum appellabant: quo facto veritas et certitudo idealis s. notionum orta est, quae quum veritatem certitudinemque realem munere et dignitate sua demovisset, ipsis nesciis etiam nomen ejus accepit (gewiß seyn i. e. gewußt seyn). Nam posthac, quum testem veritatis certitudinisque non exi-

stentiam rerum, sed conscientiam suam fecissent, proprie iis pro *revera existit*, *verum*, *certum est* dicendum erat vel *me percepisse scio*, vel omnino *existere scio* i. e. *est in conscientia mea*. Enuntiatio vero conscientiae veri vocatur affirmatio; et propositio v. particula, quae talem enunciationem continet, dicitur propositio v. particula affirmativa.

At monendum est, dum vitae communis lingua utramque veritatem, illam realem et hanc idealem diversis verbis non distinguebat ideoque verba et particulas, quae existentiam exprimebant, utroque sensu adhibebat, philosophos accuratius egisse et solam idealem affirmationem sic appellasse nomine affirmationis, contra realem nuncupasse positionem *). Quum enim ea vocabula non solum ad id quod existeret, sed etiam ad id quod cogitaretur, referrentur in lingua vulgari, philosophi coacti erant, existentiam expresse et peculiariter posito vocabulo exprimere: *est* et quidem *revera est*, *est existens*. Quare omnes particulae affirmativae et verba, quae *existere* — *esse* significant in lingua vulgari, prout modo illo modo hoc sensu usurpantur, philosopho modo affirmativa modo positiva nuncupanda sunt. Linguarum scrutator, ni fallor, qui ex indole linguarum cogitat et loquitur, hoc discrimine supersedet, quamdiu non ipse philosophi partes agit.

Transimus ad nexum, qui affirmationem (positionem) inter et comparationem est, monstrandum, ita ut, quaecunque utriusque rei diversitas est, in linguis tamen facile omnibus per eadem verba exprimenda videri potuerit. Res causam suam habere videtur in eadem minus accurata notionum distinctione auctoribus linguarum imputanda, quae postea linguis insidens et adhaerens remansit, quum linguae cujusque haeres et dominus, populus, partim eodem vitio laboraret, partim ad corrigendum peccatum nil haberet refugii, nisi notiones a majoribus ut haereditarias acceptas, quibus nimirum eadem vitiosa nota impressa erat. Quamobrem paene videtur, in oratione vitae communis, identitatis declaratio eo

---

*) Qua de re affirmationis in arte logica, positionis in metaphysica mentio fit.

studiosius et disertius fieri, quo minus res comparandae revera similes comparabilesque sint. Descendamus ad nostratium idioma vulgare. Quid significant et quid valent locutiones, quales sunt: gleich, gleichwie, gerade so, eines und dasselbe, ganz derselbe? Proprie idem v. aequale philosophorum exprimunt, tum de rebus aliquantulum forte similibus usurpantur. Eodem modo egerunt poetae omnium linguarum, quippe notionum et idiomatum vulgarium magis quam subtilitatis diligentiaeque philosophicae sectatores; eodem modo agimus nos ipsi omnes in vita communi. Identitatem exprimimus contra nostram ipsorum sententiam et voluntatem. Sic idem ὥς, quod apud Homerum in phrasi solenni ὥς φάτο, valet *eadem ipsa haec verba*, quid valet in comparationibus poeticis? Ut exemplo utar Il. 3, 2: Τρῶες μὲν κλαγγῇ τ' ἐνοπῇ τ' ἴσαν ὄρνιθες ὥς cet. Nam neque omnes aves in migratione clamare solent, neque earum, quae forte clamare solent, est similis vox, neque Trojanorum vociferantium clamor, terribilis clamori ullarum avium similis fuit. Quid? quod interdum, omni comparandi vocabulo plane omisso, res admodum dissimiles easdem esse dicunt. Sic lupus vocatur pecoris lues, quasi ipse lues sit, quanquam idem etiam lanio pecoris vocari potuit. Quid igitur est? Lues an lanio? Neutrum ipse, sed in trucidandis pecoribus iis aliquantum comparabilis. Nostratium unus nescio quis dicit: Die Welt ist nichts als ein Orchester, wir sind die Instrumente drin, die Harmonie ist unsre Schwester. cet. Nonne egregie et vere locutus est poeta? Omnino, quia aliud verbo exprimimus, aliud putamus. Nam mundus hic dicitur esse nihil nisi orchestra i. e. hoc unum neque aliud quidquam, ideoque nihil, quod proprie nomine mundi insigniri deberet. Idem minus accuratum loquendi genus erat linguarum auctoribus; qua igitur de causa?

Affirmationis (positionis) formula est: *A est a.* — At vero *A* nihil est nisi *A*, *a* vero nihil est nisi *a*, ergo neque *A* est *a*, neque *a* est A. Sed volumus *A* esse *a*. Quid hoc significat? Volumus *A* et *a* unumidemque esse, negamus igitur et abesse volumus ea, quibus differant, et statui-

mus $A = a$. Itaque videmus formulam judicii categorici affirmativi linguarum auctoribus nil fuisse nisi identificationem, et ex ingenio non philosophorum sed vulgi ad hunc diem nihil esse nisi eandem identificationem, quae fit, si ab omni differentia abstrahitur, quamdiu verbis ipsa non exprimitur. *A* esse posse in *a* vel sub *a*, homo vulgaris neque scit neque curat, itaque *A* ei homini *a* aut est aut non est, quod si dicit esse, non dicit id non esse. Quod quam verum sit, inde patet, quod mathematici et philosophi, qui coacti erant verba sua ex lingua vulgari repetere, ad exprimendum suum $A = A$, nullum verbum invenerunt nisi idem *aequale* (*A* aequale est *A*). Itaque nihil in hac re fecerunt, nisi ut diserte aequalitatem exprimerent, ut eam suis disciplinis adaptatam a vulgari aequalitate, vel potius identitate simpliciter per *est* expressa, distinguere possent. Res paene jocosa est. Nonne enim aliqua res, quae aliud quid omnino est, huic alteri rei multo magis congruit, quam si ei tantummodo aequalis est? Sermo vulgaris pro suo ingenio haud minus bene distinguit quam philosophi ipsi, utrum (identificando) dicat aliquem esse alterum (omnino), an (comparando) dicat aliquem esse alteri tantummodo aequalem. Contra mathematicis et philosophis aequalitas multo plus valet, quam illud vulgare *esse*, quod usurpare coeperunt pro *esse in* vel *esse sub* alia notione contentum. Quid vulgo sit identitas, licet observare ex eo, quomodo usurpetur vox *idem*, supra quod nihil aequalitatis inveniri potest. Nihilominus, quasi, qui idem est, non satis aequalis sit ei, quocum idem est, licet dicere *plane* s. *prorsus idem*. At homini vulgari is qui plane s. prorsus idem dicitur, non tam aequalis esse videtur, quam is, quem simplicius eundem esse dicit, certe non tam aequalis, vel adeo non tam similis, quam quem simpliciter esse hunc vel illum dicit. V. C. Homo aliquis si *plane leo esse* dicebatur, minus leoni par videbatur, quam si *leo esse*. Quid igitur est identitas philosophica, quid vulgaris? Illa est identitas absoluta, haec relativa s. secundum quid, illa essentiae vel substantiae, haec accidentium vel qualitatis. Si vulgo de utraque re *esse* dicunt, quid mirum? Nam qui potuerint illi, qui fundamenta linguarum posuerunt,

qui possit is, qui linguarum dominus est, homo vulgaris, inter substantiam et accidentia, essentiam et qualitates distinguere, ut quae discrimina reflexione demum philosophica inveniantur! Propter eandem causam adhibuerunt in positione s. judicii enunciatione vocem *est* (הָיָה, הוּא, كان), proprie *essentiam habet*, quod tamen sensu philosophico valeat *qualitatem habet*. At in sermone vulgari de substantia sine accidentibus s. de essentia sine qualitate plane non cogitatur ideoque formula A = A a nemine ex vulgo per omnem suam vitam unquam enuntiatur, contra unusquisque, si philosophum hanc formulam exponere audiret, sine dubio cachinno exciperet. Unde intellectu facile est, quum nulla res aliam plane eandem atque ipsa est habeat, sed quum semper certe essentiae diversitas intersit, a rebus qualitative prorsus congruentibus usque ad res, quibus tantummodo minutissima qualitatis ratio communis est, filum pervadere discriminum acutissimorum, quae oculo se subtrahunt, ideoque usum formulae identitatis nullis fere terminis circumscribi omnemque de eo regulam cessare; quo factum est, ut haec formula philosophis nil nisi quancunque rationem nexumque notionum amplissimum exprimat. Itaque formula judicii categorici affirmativi a vulgo ita tantummodo usurpatur identifice, ut a differentiis rerum i. e. non solum a qualitatibus omnibus, quae ab eo, qui loquitur, verbis non diserte exprimuntur, sed etiam et imprimis ab essentia vel substantia mens abstrahatur, adeoque de iis plane non cogitetur. Nam homo vulgaris ne ullius rei quidem naturam vel ullius conceptus singulas notiones absolute perscrutatas habet easque vix desiderat, ideoque revera nunquam categorice affirmare potest. Haud aliter se gerunt poetae, qui quum imaginem ab omni parte satis aptam vix ullam inveniant, discrimina rerum comparandarum haud curantes, comparationes suas faciunt prorsus omissâ indicatione, secundum quid res comparatae sibi similes videri possint.

Attamen paulatim etiam hoc discrimen inter essentiam et qualitatem rerum populis mentem subrepsit et occupavit inscios, quo demum facto ad illam identitatem essentialem

(philosophicam) exprimendam invenerunt pronomina. Quo minus vero in hac acuta re ipsi acuti erant, eo facilius fieri potuit, ut in observando discrimine nec bene rem agerent, et propterea, quia ipsorum lingua nonnisi notiones sensuales offerebat, ne possent quidem bene rem agere. Nam in formandis pronominibus ut identitatis signis quum semper ad notionem *existendi* redeundum et ex verbis *esse* significantibus, ut stirpe pronominis, materia depromenda esset, tantummodo pronomen substantivum tertiae personae, quippe quod notionem identitatis substantialis omnino simplicissime et purissime contineret, ex hoc fonte derivarunt. Quin adeo dici potest, verbum הוה eo tempore, quo pronomina ex eo derivata sint, sine dubio existentiae notionem nondum tam puram et abstractam continuisse, quam serioribus temporibus, sed adhuc ad propriam notionem *vivendi* propius accessisse, ita ut etiamnum aliquam qualitatis positionem contineret. In reliquis pronominibus ne hoc quidem fecerunt, sed ea ex notionibus per sensus acceptis notioni *existendi* affinibus derivarunt, quales erant notiones *constandi*, vel *apparendi*, *se offerendi*. Itaque semper aliqua qualitatis significatio ab origine vocibus pronominum inerat (quamquam etiam philosophi ad exprimendam notionem *substantiae* et *existentiae* non commodiora verba in linguis invenire potuerunt, quam quae ad notionem *standi* pertinerent); quo factum est, ut pronominum et similitudinis vocabulorum modo eadem origo sit, modo eadem potestas et promiscuus usus.

Praeterea hic monendum est, veteres linguarum auctores non solum eam qualitatem, quam philosophi sic appellant, pro accidenti rerum habuisse, sed etiam praedicamenta temporis et loci, quantitatis, causalitatis *) iis accidentia rerum visa esse; quapropter vocabula similitudinis (vel etiam identitatis, pronomina) ad has quoque categorias translata sunt **).

---

*) Causa est principium, quasi fundamentum (מְכוֹנָה ,כֵּן) existendi, cujus demum existentia aliud quid existit, qua *confirm*atur (הֵכִין, bestätigen, *constater*) et *affirm*abilis fit.

**) Cf. Hebr. אֲשֶׁר propr. gerade, wie, welcher (wielicher angl. *such*,

Sic quae ad explicandam originem varii usus verborum inter se et stirpe et significatione cognatorum כֹּה, כֵּן, כָּכָה, כָּבָה, אֵיכֹה, אֵיכָכָה, אֵיכָה, אֵיךְ, כְּ *) et partim de כִּי dicenda visa sunt, absolvisse me puto; videant lectores, qualis idem nexus in aliis linguis inter notiones standi et existendi, erecti et rectitudinis, plani et aequalitatis, firmi et affirmandi, comparendi et comparandi cet. sit.

Restant derivata verbi כּוּן nonnisi אַךְ et אָכֵן, quatenus haec utraque vox affirmationem transfert ad oppositionem et restrictionem. Quod sic fit. Oppositio fit, si, postquam diximus, quod non verum sit, addimus quod verum sit, i. e. affirmando post negationem. Itaque Latini ad hunc usum advocarunt suum *verum*, *vero*. — Restrictio fit, si, postquam diximus, quod non (satis) certum sit, addimus quod certum sit i. e. ponendo certius post minus certum. Itaque Latini ad hunc usum advocarunt suum *certe*, quod significat id quod certum est. Sic transimus ad vocabulum כִּי ipsum, quod ad hanc omnino vocabulorum familiam pertinere demonstratum censemus.

Est vero vox כִּי particula, quae *affirmat* (קִיֵּם, קוֹמֵם), *firmum* (נָכוֹן) praedicat, *ratum* (cf. *res* et *ratio*) *certum*, (أمين) *verum*, *rectum* (was seine Richtigkeit hat) *esse*, *valere* dicit, quae quid *statuit* (כּוֹנֵן), *ponit*. Itaque eam nominamus *particulam positivam*, cujus tamen vis propria quo minus ullo verbo ex nostris linguis desumto satis bene exprimatur, ejus impedit ambitus, qui tantus est, ut in ipsis specialioribus significationibus plerumque complurium vocabulorum ditionem et classem comprehendat. Ad naturam ejus propriam, etsi non ad usus ambitum, aliquantum accedunt particulae affirma-

---

as); gr. *ὡς*, lat. *ut*, nostr. wie, so. Huc pertinent etiam particulae ex pronominibus monstrativis, relativis et interrogativis factae.

*) כְּ est relativum demonstrativi כֵּן, et ipsum quoque demonstrative ut *ὡς* usurpatur. Relativi אֲשֶׁר nullus amplius usus demonstrativus est. אֲשֶׁר ab indefinitis מִי, מָה, congruenter cum diversa origine, sic differre videtur, ut ipsum sit propr. *is qui*, haec *aliquis qui*.

tivae ἦ (quod cohaeret cum εἶναι), ὄντως, ἄρα, δή, εὖ *) *revera, enimvero, imo utique, ita, sane*, so, allerdings, wohl (probe) et similia, modo subaudito, modo non subaudito verbo *est*, — ita tamen, ut כִּי has omnes simul complecti videatur. Propria vi magis conveniant nonnulla derivata verborum verbo כּוּן affinium, ut אָמֵן, אָמְנָם ab אָמַן derivandum, usu vero ךְ ab הָיָה, אֲשֶׁר ab אָשַׁר derivandum, et prae reliquis הִנֵּה, הֲלֹא, arabic. إِنَّ, لَ, vel potius إِنَّ una cum لَ **). Nam non facile unum locum habes, in quo particula כִּי salvo sensu

*) Ad propriam significationem vocis εὖ cf. Homericum ἐΰς.

**) Arabica vox إِنَّ, quae eadem est cum Hebraica הִנֵּה, הֵן, cum graeco ἤν nihil commune habet. Fons hic factus est particularum إِنْ, أَنَّ, أَنْ, quae ab إِنَّ usu plus minusve diversae non minus cum כִּי congruunt. Quod originem harum vocum propr. *ecce, videlicet* significantium attinet, sine dubio cum aliquo verbo *existendi* cohaerent (cf. آنَ, أَنْ, זֶה, זָהָה φαίνεσθαι, *videre, videri*, sehen, Schein, seyn). Nam apud Syros ut ex fonte כּוּן habes in pronominibus formas ܗܟܢ, ܗܟ (*is* pro *talis*. Etiam כֵּן saepissime per *hic, is* vertendum est. De neglecto discrimine inter substantiam et qualitatem v. supra), sic iterum habes ܗܢܘܢ, ܗܢ (כֵּן, כֹּה; הֵן, הָא, דָּא): — Interdum etiam قَدْ *jam* لَقَدْ *profecto jam* respondet, quae particulae a قَدُمَ derivandae proprie rem indicant, quae *jam* facta est, deinde vero, ad modum Hebraici praeteriti, maxime apud prophetas, eam alicuius rei certitudinem exprimit, qualem res revera factae habent (faktische Gewißheit cf. etiam usum Latini *jam*). — Non male etiam interdum convenit إِذَا, إِذْ, cognatum cum ذَا, זֶה. — Particulam لَ ex הֲלֹא, أَلَا ortam esse vix dubitari potest. Quae locis suis ab aliis particulis, quas inceptivas liceat appellare, nonnisi aliqua energia differt. Sic فَ פֹּה ad modum particulae ثُمَّ ad tempus translatum, pedestrius et minus ornate exprimit vulgare nostrum da et so (cf.

et salva indole linguae Hebraicae etiam abesse non possit, quia unaquaeque propositio categorica jam per se affirmationem continet. Quare paene nulla ejus vis esse videtur, nisi ut vel affirmationi ipsi eandem majorem potentiam addat, qua verbum כּוּן ab הָיָה, *valere* ab *esse* differunt, vel ut expressius disertiusque omnem rationem enunciatorum, quae ex solis eorum verbis tam perspicue et manifeste non cernitur, indicet, ipsa vero omnium rationum, quae inter propositiones per se spectatas intercedunt, particeps fiat. Itaque de aliqua primaria significatione, quae aliquo vocabulo alius linguae reddi debeat, minus videtur quaerendum esse, quum potius ratio loci cujusque ad definiendam vim particulae semper spectanda sit, in qua loci ratione verborumque conjunctione per additum כִּי aucta et gravioris momenti participe, lector diutius morari monetur. Fortasse optime dici potest, quum propositio simplex per se simpliciter affirmet vel ponat, additum כִּי efficere, ut energice affirmet vel ponat, ex sententia faciat assertionem, ita ut tantummodo quaeri possit de ratione et causa, propter quam vel Hebraei omnino ex idiomate suo, vel singuli scriptores ex ingenio suo singulis locis energicam affirmationem vel positionem simplici, quae sine omni emphatica voce fit, praetulerint.

Mutata appellatione latina in graecam, nostram כִּי jam appellabimus *particulam theticam* ejusque provinciam *thesin*. Thesis autem duplex est. Nam modo per se et solum aliquid ponimus et statuimus, ita ut per disertum כִּי significetur, omnino *rata* esse quae sequantur (*thesis sensu strictiori*); modo cum alia re simul aliquid ponimus et statuimus i. e. componimus et constituimus, ita ut per disertum כִּי significetur, omnino *rationem* *) inter rem jam positam et eam,

---

usum arabicarum vocum وَ, فَ, ثُمَّ et hebraicarum וְ, אַף, שָׁם, אָז).

*) Ne cui verbis ludere videar, moneo, hujusmodi verborum convenientiam, qualis inter verba *res*, *ratum esse* et *ratio* est, non exiguum argumentum esse, has notiones linguarum auctoribus tantummodo species visas esse unius generalis notionis, in qua ab initio omnes implicitae fuerint.

quae per כִּי componitur, adesse *(synthesis)*. — Denuo vero et haec thesis sensu strictiori dicta et haec synthesis duplex est. Nam quod thesin attinet, modo *realiter s. objective* ponimus, quando facta cognitione rerum externarum nixi aliquid revera esse, valere et ratum esse praedicamus *(thesis sensu strictissimo s. thesis κατ' ἐξοχήν)*, modo *idealiter s. subjective* ponimus, quando, cognitione nulla facta, a realitate rerum animum abstrahentes aliquid ut verum ratumque esse et valere volumus et jubemus *(hypothesis)*. Quod vero synthesin attinet, modo duas singulas notiones componimus et constituimus ita, ut eas in unius cogitationis formam comprehendamus et per disertum כִּי rationem mere idealem (respectu logico habito) statuamus (synthesis sensu strictiori s. *κατ' ἐξοχήν*), modo duas completas cogitationes logice jam constitutas ita componimus et constituimus, ut utrique integritatem suam et immunitatem ab altera servemus, per disertum כִּי vero inter ea, quae iis cogitationibus comprehenduntur, rationem realem (respectu metaphysico habito) statuamus *(parathesis)* *). Itaque nostrum argumentum erit quadripartitum, quatenus כִּי inservire censemus *A*) thesi (*κατ' ἐξοχήν* dictae) *B*) hypothesi *C*) synthesi (*κατ' ἐξοχήν* dictae) *D*) parathesi **).

---

*) Copula וְ ex simplici verbo הָיָה orta, in synthesi simpliciter nectit, כִּי vero ex potiori verbo כּוּן ortum, cum energia nectit (de sensu potiori notionis esse v. supra p. 14). At ad parathesin, quippe in qua rationum realium respectus habeatur, כִּי magis idoneum esse videtur, quam illud וְ, quod proprie tantummodo formaliter nectit.

**) Ut hi quatuor modi ponendi nil sunt, nisi ejusdem theseos (sensu amplissimo) species, sic etiam usus particulae כִּי, qualiscunque est, semper ad eundem usum theticum redit, ita ut כִּי per se spectatum ubique et semper eadem vox energice affirmativa s. positiva sit, quam ut talem, ubique omitti et in Hebraica non minus quam in aliis linguis satis commode per alias particulas affirmativas exprimi posse monstrabo. Attamen intelligitur, thesin (sensu strictissimo) illam ejus propriam indolem optime exhibere et purissimam ostendere.

A) *Thesis realis s. thesis sensu strictissimo.*

1) Propriam vim cum energia et diserte affirmandi s. ponendi particula כִּי, ut facile intelligitur, tum tantummodo puram putam ostendere potest, quando propositionibus eorumque rationibus non ipsa implicata est, itaque ab initio sermonis. Quae ejus vis propria quum ea sit, ut aliquid *ratum* esse (Statt haben, Statt finden) dicat et *verum* esse declaret (für wahr erklärend), ex natura sua optime vertitur per *rato* (אָמְנָם) *profecto* (fürwahr), *sane* (wohl), arab. لَ *) quanquam in loquendo eam energiam, quam propositio ab ea accipit, etiam solo vividiore tono gestuve exprimere potes. Hujus usus locus classicus est Jes. 15, 1: כִּי בְּלֵיל שֻׁדַּד עָר
מוֹאָב נִדְמָה כִּי בְּלֵיל שֻׁדַּד קִיר מוֹאָב נִדְמָה, in quo quod vocem כִּי attinet, interpretes consentire videntur. Affirmatio quae in verbis ipsis est, per כִּי ita augetur, ut asseveratio fiat s. affirmatio energica. Quae loci natura non minus cognoscitur ex indole coloreque totius oraculi et speciatim ipsius primi versus. Nam saepius accidit prophetis, ut quo concitatior sermo fit, eo insolentiores voces, vocum formas et compositiones syntacticas adhibeant; quod omnino valet de nostro versu. Vocem כִּי nostris verbis alium sensum nullum adferre, elucet ex eo, quod particula כִּי plane omissa tantummodo in energia sua detrimentum caperent, vel pro כִּי etiam הִנֵּה vel הֲלֹא (Prov. 8, 1.) poni posset, quorum prius, rem quasi ob oculos versantem monstrando, alterum, omne contrarium negando, eandem energiam efficeret. — Quodsi haec simplex asseverandi potestas negari non potest, per se intelligitur, eam primariam esse. Nam ex quanam alia significatione derivanda videri possit? Vatem tam grave et minax oraculum non exorsum esse per ellipsin verbi

---

*) Koran (Flügel) 12, 109. وَلَدَارُ ٱلْآخِرَةِ خَيْرٌ. 13, 34. 16, 32. 43. 17, 22. 20, 127, 22, 13. al. cf. de Sacy Gramm. Tom. I. pag. 504 sqq. 2d. edit.

אֲמַרְתִּי elucet *). Apud Arabes particula إِنْ orationem rectam, verba alicujus, auspicari potest, etiamsi verbum dicendi non praecedat, e. g. Kor. 10, 2: أَنْ أَنْذِرِ ٱلنَّاسَ وَبَشِّرِ ٱلَّذِينَ آمَنُوا. 68, 22.

2. Idem usus mere energicus particulae כִּי locum habet in formulis jurandi, Arabice per لَ exprimendus, ut وَٱللّٰهِ لَ. **) In quo usu particulae אִם conditionali ex diametro opposita est, quippe quae neget (*profecto non*). Si vero in formulis jurandi אִם idem est ac כִּי לֹא, vero id quod הַאִם s. אִם לֹא; videmus, etiam hoc usu כִּי, quod sensum attinet, nil esse nisi idem הֲלֹא, de quo jam diximus ***). — Sic כִּי etiam ponitur post alias asseverandi, augendi similesque particulas, quales sunt אָכֵן, הִנֵּה, הֲלֹא, אַף. Quae particulae, partim similis originis, ut forma robustiores, ita significatione fortiores quam כִּי ipsum omni-

---

*) Ad hunc locum Gesenius in commentario animadvertit haec: „Man ist mit Annahme dieser (sc. asseverativae) Bedeutung gewöhnlich zu freigebig, indem man sie auch in der Mitte der Rede häufig anwendet, wo immer eine, wenn auch unvollkommene (?) Causalverbindung Statt findet." Recte quidem. Verum nexus causalis non est in particula כִּי, sed in propositionibus ipsis, plus minusve perspicue indicatus. Praeterea dubium videtur, utrum Hebraei hujus nexus causalis semper satis conscii fuerint in adhibenda particula כִּי, an potius de loci et temporis communione cogitaverint, num rationem specialem, maxime causalem, an potius aliquam rationem in universum (ut per ו) exprimere voluerint. Nos quidem ex accuratiore nostrarum linguarum ingenio nexum causalem propriis et perspicuis particulis indicare solemus. Itaque ubi propositionum nexus causalis est, in vertendo per certas aptas particulas reddendus est, quanquam, si hoc negligimus, magis contra genium nostrae quam Hebraicae linguae peccamus.

**) Quodsi etiam dicitur הֲלֹא כִּי (*nonne profecto*), non magis mireris quam de أَلَا إِنَّ Kor. 10, 56. 42, 3. 44. أَلَا إِنَّ لَ 42, 17.

***) Itaque in jurandi formulis כִּי אִם *profecto non*, *omnino non*, *haud sane*, فَإِنْ لَا dicitur pro כִּי לֹא, cf. Kor. 26, 97. 37, 54. 167. 39, 57.

no videntur, quam ob rem in hisce compositionibus gravius momentum in his particulis, minus vero in כִּי positum est. Videmus igitur, particulam כִּי vel non eadem vi gaudere, qua has, vel certe in hujusmodi exemplis aliquid ab originaria sua potestate deponere, quemadmodum Arabicum لَ non eandem energiam habet, quam أَلَّا, هَلَّا, et אִם negativum interdum non minus paene omni energia carens idem est atque simplex לֹא. (إِنْ i. q. simplex لَا e. g. Koran 11, 52. 53.).

3. Amplius a vi et energia sua originaria recedit. Nam כִּי, sicuti Arabum لَ, لَقَدْ, omnino orationi rectae praemittitur post וַיֹּאמֶר et alia, quando verba non simplicem pedestremque alicujus sententiam, sed assertionem cum spiritu et energia prolatam continent, quales sunt asseverationes, professiones solennes, promissa et minae, preces vehementiores et similia. Sic Jos. 2, 24. 2 Sam. 19, 43 et multa, quae huc adferre longum esset, in quibus locis omnibus per asseverandi particulam vel per simplex *sane*, *utique*, vel prorsus omissum per solum accentum exprimi potest. *) Arabice dicitur Kor. 12, 8: قَالُوا لَيُوسُفُ وَأَخُوهُ أَحَبُّ إِلَى أَبِينَا مِنَّا vs. 15: وَأَوْحَيْنَا إِلَيْهِ لَتُنَبِّئَنَّهُم. **) Sunt tamen loci ab interpretibus specie externa seductis huc relati, qui aliter explicari vel possunt vel debent. Gen. 4, 25. nexus causalis adesse videtur, nam propria verba Evae essent: יְהוָה שְׁמוֹ שֵׁת כִּי שָׁת לִי אֱלֹהִים זֶרַע וגו׳. Eadem res est in loco Gen. 29, 33. ex ipsis Leae verbis explicando. — Ex. 4, 25. in narratione aliquantulum contorta explicandum videtur: Hic habeto, nunc vero mitte me, nam sponsus cruentus mihi es. Quanquam nullum locum habeo, in quo particula כִּי ante orationem rectam potestatem suam asse-

---

*) Salva sensus integritate כִּי vel omitti, vel in הֲלֹא (1 Sam. 20, 37.) et הִנֵּה (Gen. 41, 1.) mutari potest.

**) Kor. 40, 10 — 14, 16. 17. 15, 39. 17, 4. 19, 80.

verativam plane et indubitate deposuisse mihi videatur, nihil tamen contradicam, si quis ei omnem peculiarem vim abjudicaverit eamque cum Graeco ὅτι plane conferre malit. Nam quid impediret, quo minus jam in Hebraica lingua initia ejus loquendi modi haberemus, qui posthac in lingua Arabica invaluit, cujus particula أَنَّ ex أَنْ facta (Kor. 8, 14. 18. 51, 23.) Graeco ὅτι omnino accuratius respondet. Atque non potest negari, orationem rectam stilo historico immixtam semper aliqua majore vi vividioreque colore gaudere, nimirum vigore vivae vocis, vel eo, qualis fere est rerum in scenam positarum.

At cavendum est, ne Hebraeis orationem obliquam iis plane alienam tribuamus. Nam quod nos in transferendis Hebraeorum verbis ex ingenio nostrarum linguarum eorum orationem rectam per obliquam reddimus, ipsi Hebraei rem aliter cogitarunt *). Quod clarius ex sequentibus prodibit.

4. Nam כִּי usurpatur etiam post verba sentiendi, ubi commodissime ex ingenio nostrarum linguarum redditur per daß, ὅτι vel accusativum cum infinitivo **). Itaque docent, his locis כִּי cum אֲשֶׁר ita esse ejusdem potestatis, ut utrumque in locum alterius substitui possit. Quod integritatem rei et sensus attinet, recte, quod originem cogitationisque rationem attinet, pessime judicant ***). Nam concedent, pro כִּי non solum אֲשֶׁר, sed etiam, idque naturae vo-

---

*) Dici possit, כִּי exprimendum esse per colon (:) vel per signum orationis rectae („). De usu part. إِنَّ v. Kor. 28, 30. 37, 104. إِنَّ deest in orat. obliq. 39, 64.

**) Post verba affectuum כִּי est causale *quod*, et ita quidem, ut שָׂמַחְתִּי כִּי יֵשׁ non habendum sit pro *gaudeo esse* v. *gaudeo, quod sit*, sed *gaudeo (propterea), quod est* v. *est enim*.

***) כִּי per أَنَّ ὅτι v. accus. c. infinit. omnino rectissime vertitur, אשׁר vero quum proprie dictum sit pro אֶת־אֲשֶׁר (cf. Jos. 2, 10), accuratius vertitur per مَا, ὡς, ut, wie, post verba sentiendi. Illud in universum et infinite indicat existentiam et veritatem realem alicujus cogitationis nullo temporis respectu habito, hoc vero aliquam certam perceptionem aliquo certo tempore vel factam v. faciendam.

cabuli כִּי et indoli linguae multo convenientius וְהִנֵּה, הִנֵּה, וְהִנֵּה, הֲלֹא, imo simplex הֵן, vel denique plane nihil non solum posse poni, sed sat saepe revera poni. Eodem modo Arabes adhibent أَنَّ, أَنْ, quod proprie nil est nisi إِنْ, إِنَّ, הֵן, הִנֵּה, vel omnem particulam omittunt (Lokm. Fab. 31. أَرَاكَ تَعَضُّنِى ut vulgus nostrum: ich sehe, du beißest mich رَأَيْتَهُمْ ضَلُّوا vides eos errare propr. *errant* Kor. 20, 94, 14, 46.), quin ipsum لَ adhibent, v. c. Kor. 12, 35: ثُمَّ بَدَا لَهُمْ لَيَسْجُنُنَّهُ. 24, 54. — لَ post عَلِمَ v. de Sacy Gramm. I, 505. *) Exemplum simplicissimum hujus dictionis est Gen. 1, 4: וַיַּרְא אֱלֹהִים אֶת־הָאוֹר כִּי טוֹב *vidit deus lucem: sane erat bona* cf. vs. 31. וַיַּרְא אֱלֹהִים אֶת־כָּל־אֲשֶׁר עָשָׂה וְהִנֵּה טוֹב מְאֹד, ad quod notandum est, haec verba etiam construi cum فَقَدْ قَدْ, alia particula non intercedente, e. g. Lokm. Fab. 20: وَجَدَ لِسُلَحْفَاةٍ قَدْ سَبَقَتْ. Porro Gen. 6, 5: וַיַּרְא יְהוָה כִּי רַבָּה רָעַת הָאָדָם *et vidit deus, profecto, magna erat malitia hominum* et sic in reliquis locis omnibus. — Apparet, Hebraeos, quorum omnis syntaxis grammatica simplicitatem idiomatis vulgaris habet (quamobrem saepissime nihil potest fieri minus idoneum, quam ex linguis longe cultioribus scriptores stili politi et subtilis allegare), ex indole vulgi locutos esse, quod itidem dicere solet: er sahe, es war gut; ich glaube, es ist ein Gott **); ich will, du sollst gehen, maxime si cum aliqua fiducia loqui volunt ut de re quammaxime certa. Sic in lingua Hebraica post verba *sentiendi* non aliter atque post verba *dicendi* semper orationem rectam habemus, in qua כִּי cogitandum est ut *est*, *fuit*, *erit* (*profecto*) v. factum est (es ist faktisch), nam אָמַרְתִּי כִּי, יָדַעְתִּי כִּי.

---

*) عَلِمَ إِنَّ لَ Kor. 37, 158. cf. 68, 17. 63, 1.

**) Nam quod percipitur, est et esse percipitur.

כִּי רָאִיתִי *dico, scio, vidi: profecto est* una eademque res est, sc. affirmatio alicujus facti, de quo nobis persuasum est. Haec vero expressa facti affirmatio, quae tamen etiam omitti potest, maxime ea de causa per disertum כִּי exprimitur, ut indicetur, ea quae sequantur, non ad continuationem praecedentis narrationis pertinere, sed integram novamque ex alio ordine rerum depromtam rem continere, cujus veritas et certitudo ea perceptione vel persuasione nitatur, quam praecedens verbum sentiendi vel declarandi exprimit. — Quo denique fit, ut verba, quae per praemissam particulam כִּי inducuntur, in formam unius integrae perceptionis v. veritatis coalescant et naturam unius notionis induant, quae per infinitivum exprimi potest, et quae per se in nominativo accipienda est (cf. Thren. 3, 28: טוֹב לַגֶּבֶר כִּי־יִשָּׂא עֹל בִּנְעוּרָיו cum Gen. 29, 19: טוֹב תִּתִּי אֹתָהּ לָךְ v. Gen. 2, 18: לֹא־טוֹב הֱיוֹת הָאָדָם לְבַדּוֹ), post verba activa in accusativo, post praepositiones in genitivo. Exempla nemini deerunt *).

---

*) Ad has res pertinet הֲכִי *num revera, num unquam est* ist es (wirklich) der Fall (daß). Job. 6, 22. הֲכִי אָמַרְתִּי *num aliquando revera dixi*, wißt ihr einen Fall, daß ich gesagt hätte. Idem paene esset simplex הֶאָמַרְתִּי. Sine interrogatione illud est *nunquam dixi*, hoc *non dixi.* Nam si כִּי est, per se i. q. הֲלֹא, הֲכִי est i. q. הַהֲלֹא i. e. לֹא. Volunt hic ellipsi succurrere verbi הָיָה, modo, quia rem expeditam censent, si tum כִּי simpliciter per *ut*, *quod* vertere possunt; sed monendum est, Hebraeos potius dixisse הָיָה ךְ, et כִּי per se jam esse i. q. הָיָה ךְ, dum in stirpe latet verbum כּוּן = הָיָה et copulatio eb fit, quod כִּי particula facta est, cf. indem pro indem daß al. Contra הָיָה כִּי est i. q. הָיָה כְּ sequente infinitivo v. הָיָה כַּאֲשֶׁר sc. *factum est quum*, es geschahe, wie vel gerade, eben, als; e. c. וַיְהִי כְּבוֹא (i q. כִּי יָבֹא) אֲרוֹן אֱלֹהִים עֶקְרוֹן וַיִּזְעֲקוּ הָעֶקְרוֹנִים. וַיְהִי — כְּ (כִּי) — וַי vertas: *factum est — quum — ut.* Quomodo Hebraei sibi rem cogitaverint, elucet ex eo, quod suum כִּי etiam omittunt. Jes. 3, 24 וְהָיָה תַחַת בֹּשֶׂם מַק יִהְיֶה i. q. וְהָיָה כִּי תַחַת וגו׳ cf. arab. كَانَ يَقْتُل أَنَّى يَشْرَبُ et sexcenta alia. Attamen in formula הֲכִי He interrogativum interdum non cum כִּי, sed cum omni sequenti propositioni est conjungendum. Sic Gen. 27, 34: *Num propterea quod nomen ejus supplantor est, me supplantavit* cet. et aliis

B. *Hypothesis.*

Positionem idealem s. hypothesin per כִּי diserte indicatam, cujus tum ea significatio est, quae Latino *ut* in *ut desint vires cet.*, nihil esse nisi modalem flexionem prioris theseos similem, qualis est indicativi in conjunctivum (*est*, *sit*, es ist der Fall, es sey der Fall, gesetzt den Fall, *fac*, finge *), *jubeas esse*), eo maxime liquet, quod כִּי eodem modo nunc exprimi, nunc (e. c. Jes. 36, 6.) omitti potest **), et idem duplex usus etiam vocibus (הִנֵּה) הֵן (إِذْ) إِذْ, (إِنَّ) إِنْ est (cf. ἦ, εἰ, *sic*, *si*, Francogall. *si* modo *si* modo *sic* Latinorum). De discrimine inter כִּי et אִם, ex quo prius tantummodo aliquid esse vult et statuit (annimmt, den Fall setzt) προβληματικῶς ponit, alterum aliquam rem ut conditionem (causalem) alteri rei substernit v. Ges. Lex. — Itaque non est quod nos immoremur. — Transimus ad

C. *Synthesin.*

Theticus usus particulae כִּי is erat, ut per eam integrae et perfectae propositiones ut verae *rataeque* poneren-

---

locis. Nam quod ה interrogativum, utpote una sola litera, non seorsim scribitur, sed sequenti voci praefigitur, nil ad rem facit. He interrogativum sic construi docet locus Job. 4, 2: הֲנִסָּה דָבָר אֵלֶיךָ תִּלְאֶה i. q. נִסָּה דָבָר אֵלֶיךָ הֲתִלְאֶה Gesetzt man versuchte ein Wort an dich, wird es dich verdrießen?

*) ποιέω, quod nescio an cum ποῖος, ποιότης cohaereat (de neglecto discrimine inter substantiam et qualitatem cf. כֵּן, אַחֲרֵי־כֵן, *is* et *hic* pro *hujusmodi*, *talis* jam pluries diximus), et ποίησις non solum de rebus revera *factis*, sed etiam *fictis* usurpatur. Idem cogitandi modus provocavit notiones שָׁוָה, דָּמָה (דום, دَامَ, דון) et מָשַׁל. Nam hoc posterius verbum, quod partim cum reliquis duobus, partim cum שפט, שמר in usu convenit, ex statuendi, sistendi, comparandi notione profectum esse jam supra conjecimus, cf. مَثَلَ, *erectus constitit seque sistit* (ܒܝܢ ܝܕܥܐ, coram); *motus est, surrexit e loco suo.* مُثْلَةٌ *exemplum quod statuitur* أَمْثَلُ *praestans*, cf. ركن I. II.

**) Ut Latini in versu: *Sint Maecenates cet.*

tur; quae quum veritatis assertionem jam per se continerent, propria particulae vis in diserta et energica affirmatione erat. Quem vero syntheticum usum nominamus, is est, ex quo cum propositionis aliqua tantummodo parte copulatur ita, ut affirmativa v. positiva sua vi *rationem* ipsam diserte exprimat, quae partes propositionis interest, et propositionem ipsa constituat. Quum vero in omni propositione id quod affirmetur vel ponatur, in praedicato sit, actio affirmandi v. ponendi in copula logica; intelligitur, particulam כִּי soli praedicato et quidem ut aliquam copulam logicam energicam praeponendam esse. Sic in hoc usu synthetico eundem quidem theticum usum habemus, quia thesis praedicato comprehenditur, et subjectum, utpote de quo statuatur, ad thesin ipsam minus pertinet. Quum vero propositionum (judiciorum) forma logica triplex sit, categorica, hypothetica et disjunctiva, etiam particulae כִּי synthetica ratio triplex erit.

1) *Forma categorica.* In hoc usu כִּי convenit cum הִנֵּה, הֲלֹא, הָיָה, הוּא, וְ in potestate copulandi. Qui vocabuli usus tam clarus et in Semitarum modo cogitandi tam firme positus est, ut neque dubitari, neque aliter explicari possit. Est autem, ut jam supra vidimus, hujus כִּי eadem ratio atque Arabici لَ, dum utrumque simplicioribus copulis הָיָה, הוּא, וְ ,هو, ,, ف aliqua energia differt. Quamobrem maxime in hoc particulae usu laborant, qui alio modo eum explicare student. Nam aut silentio plane obeunt, aut contra omnem linguarum analogiam ex relativo demonstrativum factum esse volunt, aut clauda ellipsi mederi opinantur *). Transeamus ad exempla. Ps. 128, 2: יְגִיעַ כַּפֶּיךָ

---

*) Tantum abest, ut germanicum ſo proprie pronomen relativum sit, sicuti Vir Ill. Gesenius in Lexico vult (qui tamen in grammatica ed. 11. p. 80 ſo non minus cum זֶה comparat, et alio loco originem relativorum in demonstrativis et interrogativis quaerendam censet), ut contra, quando pro pronomine relativo usurpatur, (quemadmodum der, die, das relative usurpatum) ex propria demonstrativa potestate in relativam transierit et dictum sit pro ſo — wie (such — as, ſo einer, wie einer; ſolcher — welcher propr. *talis* — qualis, ein ſolicher, wielicher). So per se est i. q.

כִּי תֹאכֵל *laborem manuum tuarum profecto (tute) comedes*, in quo exemplo copula logica in verbo תֹּאכֵל jam latens energiam suam a praeposito כִּי accipit, et notio *est* in vocabulo כִּי latens impersonaliter accipienda est i. e. כי paene interjectio est. Gen. 18, 20: זַעֲקַת סְדֹם וַעֲמֹרָה כִּי רָבָּה *clamor de Sodoma et Gomorrha profecto est multus.* cf. أُمُّ ٱلْحُلَيْسِ لَعَجُوزٌ *mater Holeisi profecto est anus decrepita.* Imprimis ubi propositio distinctius in suas partes, subjectum et praedicatum, dissolvitur i. e. si subjectum casu absoluto praecedit, et ubi Arabes subjecto particulam إِنَّ praemittunt, quo facto copula logica omnino disertius exprimenda est. Jes. 49, 19: חָרְבֹתַיִךְ וְשֹׁמְמֹתַיִךְ וְאֶרֶץ הֲרִסֻתֵךְ כִּי עַתָּה תֵּצְרִי מִיּוֹשֵׁב cf. إِنَّكُمْ لَتَأْذَنُونَ vel إِنَّ ٱللّٰهَ بِٱلنَّاسِ لَرَؤُفٌ رَحِيمٌ, adeo إِنَّكَ لَأَنْتَ Kor. 11, 89. *).

2. Facilis est transitus ex hoc particulae כִּי usu ad eum, quem in propositionibus *hypotheticis* habet, in quibus, dum prius membrum hypothetica particula incipit, posterius thesin continens per כִּי introducitur, si quis energice loqui vult. Itaque post particulas אִם, אִם לֹא, לוּ, לוּלֵי, אוּלַי Num. 22, 37. eodem modo ut Arab. لَ post particulas hypotheticas his Hebraicis respondentes. Res exemplis

---

כֵּן (primo forte pronomen so einer, solch einer, anglic. *such*, tum adverbialiter); porro particula affirmativa, quae majorem partem Hebraico כִּי respondet (thetice, hypothetice, synthetice), et comparativa; denique relative usurpatur ut כְּ, אֲשֶׁר. — Quae quum ita sint, concludendum videtur, ut hae particulae Hebraicae a verbo כּוּן, ita so a verbo seyn (sehn) originem duxisse.

*) Eodem modo usurpatur הֲלֹא et הִנֵּה propr. *videre licet*, i. e. *adest*, *est*; e. g. in phrasi libris Regum et Chronic. solenni: וְיֶתֶר דִּבְרֵי פ' וְכָל־אֲשֶׁר עָשָׂה הֲלֹא הֵם כְּתוּבִים וגו' v. הִנָּם כְּתוּבִים וגו' i. e. *extant scripta.*

non eget. Particulam כִּי propter affirmativam potestatem hic adhiberi (cf. germanic. ſo), ex eo maxime elucet, quod Arabes etiam فَإِنَّهُ, فَإِنَّ et فَ simili modo, tamen non cum eadem energia, adhibent. Adponam hic locum Kor. 12, 14: قَالُوا لَئِنْ أَكَلَهُ ٱلذِّئْبُ إِنَّا إِذًا لَخَاسِرُونَ.

3. Propositio *disjunctiva* non continens certi quidquam, sed potius ambigui, efficit, ut animus inter id quod aut sit aut non sit haereat; itaque in judicio disjunctivo ipso, quamdiu formam suam retinet, particula כִּי locum habere non potest. Tantummodo si ex duobus sibi per disjunctionem oppositis alterutrum tollis negando, de altero certo et affirmative judicari potest, et tum particulae כִּי locus datus est is, ut rem positivam ponat, dum negationis particula alteram tollit, כִּי —— לֹא *non est* —— *ratum est*, *omnino est* *). Ex quo fit oppositio, quae quamvis simpliciter vertatur per *sed*, tamen in mente Hebraeorum exprimebatur per *imo*, ut Arabici لَكِنْ, لَكِنَّ origo monstrat. Quae particula Arabica, quam ex لَا et كِنْ, كِنَّ compositam esse volunt, potius ex eodem لَ, quod nostrae particulae saepius respondere jam vidimus, facta videtur, ita ut illud Eliph, per quod interdum scribendo exprimitur vel per vitium eorum, qui originem minus nossent, vel ad indicandam vocalem Fatah, quo لَ a لِ differt, positum sit. Itaque Hebraei id quod nos particulis adversativis exprimimus, expresserunt per simplicem affirmationem, plane ut Latini per suum *ve-*

*) Rem ab Hebraeis ita cogitatam esse, elucet ex Arabico لَ, eodem modo usurpato. Kor. 29, 11. 12: وَمَا هُمْ بِحَامِلِينَ مِنْ خَطَايَاهُمْ مِنْ شَيْءٍ وَلَيَحْمِلُنَّ أَثْقَالَهُمْ *Ipsi non sunt portaturi de peccatis eorum* (i. e. aliorum hominum) *quidquam*, *sed* (*profecto*) *portabunt pondera sua.* cf. لَا —— وَ 41, 37.

rum, utique vero (wohl aber). Miror viros doctos in explicanda hac vi particulae acquiescere potuisse in derivatione ejus ex vi causali, ita ut Amosus, qui 7, 14. dicit לֹא נָבִיא אָנֹכִי וְלֹא בֶן־נָבִיא אָנֹכִי כִּי בוֹקֵר אָנֹכִי *) proprie dixerit: *non propheta sum, quia pastor sum.* Nam repugnantia notionum, qua oppositio nititur, multo facilius percipitur ideoque in linguis exprimitur, quam rationes causales inveniuntur et exprimuntur. Ex longa observatione constantis repugnantiae rerum demum concludit homo rationem causalem in repugnantia. Tum vero in conjunctione causali provocamus ad rem, quae ei, ad quem loquimur, jam certa et nota est, et rem ei minus certam et notam ex nexu cum illa confirmamus. At contra in oppositione rem, quae ei, ad quem loquimur, incerta et ignota fuit, declaramus affirmando et opinionem falsam corrigimus negando. Tam incommoda via nullus facile populus ad oppositionem lingua exprimendam incessit. Et quidni, qui pastor est, propheta vel certe prophetae filius esse potest? — Compositum כִּי אִם accuratior et fortior circumscriptio simplicis כִּי est: *non est, verum si* (quid est), *hoc est.*

Transeamus ad quartam partem.

D. *Parathesis.*

Syntheticum usum particulae כִּי eum appellavimus, ex quo haec particula ad notiones formaliter et logice comparandas propositionesque ipsas constituendas adhibetur. Praeterea nostra particula adhibetur ad comparandas conjungendasque propositiones ita, ut rerum, quae in iis continentur, aliqua ratio nexusque realis per eam indicetur, quem usum paratheticum appellamus propterea, quod Graeci eas functiones, quas כִּי hac ratione exercet, fere per verbum παρατιθέναι exprimunt. Latine eum dicere possis usum *comparativum.* Nam omnis res eo redit, ut postquam aliquid ut *ratum* positum sit, aliud quid ut item *ratum* ponatur, ita ut inter utriusque propositionis argumentum nexus et ratio realis indicetur. Quae tamen communis ratio non per

---

*) Quod sic inverti potest: *pastor sum, non propheta.*

כִּי ipsum exprimitur, sed potius jam eo, quod res in cogitando et loquendo omnino comparantur i. e. componuntur. Nam uti in rerum natura eas res aliqua ratione junctas eas appellamus, quae conjunctim mentem nostram intrant, sic etiam homo, naturae discipulus et imitator, eas tantummodo cogitationes conjunctim ore profert et comparat, in quibus id quod cogitatur, tali *modo conjunctim* mentem ejus intravit, h. e. homo ea tantummodo cogitando copulare solet, quae natura copulata sunt, quo fit, ut inter singula cogitata nexus sit, qui rerum rationibus realibus congruit. Quo loquendi modo, quamquam ingenio ejus, qui orationem audiret, ad recte percipiendum nimium permissum erat, diu contenti veteres, seriore demum tempore et sensim sensimque particulas plures et accuratiores adhibebant ad hujus unius rationis diversas species distinctius indicandas. Lingua Hebraica paucas tantummodo particulas habet iisque ne ita quidem utitur, quomodo uti potuisset. Sic etiam fit, ut, comparatis in loquendo duabus propositionibus, particula affirmativa energica כִּי *omnino* exprimat, ratum esse utriusque propositionis argumentum, communionem existentiae s. rationem realem adesse inter ea quae loquendo copulaverit, qualis vero rationis species dicta sit, non diserte exprimat, sed audientis menti subaudiendam permittat. Itaque etiam in parathesi particula כִּי nonnisi eadem affirmativa est, qualis in thesi erat, quamquam nos nostrarum linguarum indolem secuti eam aliis particulis reddimus. כִּי revera nil nisi affirmativam vim habere, elucet eo, quod satis commode omnibus locis cum הִנֵּה, הֲלֹא vel etiam וְ commutari, quin plane omitti potest. Liceat tamen commoditatis causa de diversis significationibus loqui.

Haec communio existentiae s. ratio realis rerum diversis propositionibus comprehensarum, quae per copulatas propositiones ipsas statuitur et per expressum כִּי diserte in eum finem annuitur, ut lectoris animus in ea animadvertenda diutius haereat, nunc loci, nunc temporis communio est. Quodsi res quae sunt, loci, quae fiunt, temporis ratione habita cogitantur (cf. nominum flexiones respectu loci, verborum

respectu temporis factas); res vero, quae sunt, aliquo modo esse, quae fiunt, effici et efficere cogitantur: ratio localis ad qualitatem, temporalis ad activitatem et causalitatem facile transfertur. Itaque כִּי, utpote particula parathetica, inservit comparationi 1) locali, 2) qualitatum, 3) temporali et 4) causali.

1) Confiteri non dubito, hanc dispositionem usui particulae כִּי, quatenus hucusque observatus est, aliquibus non satis convenire visum iri. Nam de loci ratione num ullibi usurpetur non satis certum videri posset, quippe qui usus formis cognatis כֹּה, פֹּה insit. At vero in hac re usum loquendi magis quam rationem, quae in primaria vi particulae ipsius sita fuerit, dominasse liquet, quum per se nihil impedire potuerit, quominus כִּי ejusdem ac כֹּה et פֹּה functionis particeps fieret. Itaque ne quid statuisse videar, quod usu non satis probari possit (quanquam ingentem numerum locorum, in quibus כִּי occurrit, non ita perlustratum esse censeo, ut de aliquo ejus usu certo abjudicari possit), monendum judico, meam sententiam de vi locali particulae eam tantummodo esse, ut putem, rationem localem tantummodo fontem esse, ex quo aliqua pars significationum radices suas egerit ideoque repetenda sit. Nam si alicui rei aliquam alteram ut ejusdem veritatis et certitudinis participem comparat et adponit, quid dicit proprie, nisi hanc juxta illam locum habere (neben einander Statt finden).

Qui usus particulae כִּי omnino convenit, nam כִּי interdum simpliciter adjungit. — Simplex vero adpositio quum energiae particulae minus conveniat, necesse est, ut praecedens propositio, cui altera per כִּי jungitur, eam energiam habeat, ut ipsa jam per כִּי indicanda fuerit, quo demum facto sequens propositio, utpote ejusdem potestatis, eidem indicationi idonea est. Inde כִּי in serie sententiarum a כִּי incipientium primo loco positum eam significationem habet, quam ei natura sententiae et ratio loci cujusque tribuit, quotiescunque vero repetitur, nil significat nisi *profecto*, *utique*, *sane*, per quam vero affirmationem energicam cuivis sequenti sententiae eadem vis adfirmatur et adjudicatur, quam כִּי primo loco positum habet, ita ut, demtâ primâ sententiâ, pro-

vincia ejus כִּי in sequens quodque כִּי transeat, et unumquodque כִּי, si singulas sententias seorsim spectas, cum primo כִּי plane ejusdem potestatis sit. Quod saepissime accidit כִּי causali *). Simili modo כִּי ponitur in sententiis, in quibus omnis vis praecedentium consummetur et comprehendatur, per particulam affirmativam reddendum, quod saepissime fit in Psalmis e. g. 5, 13.; quem utrumque usum si quis theticum simpliciter vocare malit, nil contradicam. Strictius huc pertinent, quae sequuntur.

Post aliam sententiam כִּי disertae affirmationis causa adhibetur ad introducendam sententiam aliam, quam *item*, *simul* et *juxta* illam *valere* et *locum* habere dicere volunt. Quae res quum jam eo fiat, ut aliquid omnino ; edicatur, facile intelligitur, disertae et energicae affirmationis advocandae tum tantummodo rationem sufficientem esse, ubi, si non diserte adfirmaretur, forte de veritate dubitare, certe offendi et mirari posses. Quod ut impediant Hebraei, sententiae praeponunt expressum כִּי, quod significet alteram sententiam, quae priori contradicere posset videri, *nihilominus*, *aeque bene* (gleich wohl) valere et locum habere, ut כִּי per *quanquam* vertere possis. Cujus usus etsi aliqui loci, quae huc referri solent, non satis certa documenta videantur, tamen quid in locis Ex. 13, 17. **) Ps. 116, 10. et aliis car-

---

*) Passovius in Lex. similem usum particulae Graecae ὡς, cujus usus omnino paene easdem translationes patitur, emphatice comparantem appellat, et omnino huic loquendi generi oratoribus et poetis occidentalibus usitato emphasis inest, quae vero idiomati Hebraico et in universum orientali abjudicanda videtur. Ad nostram rem facit, quod, energia evanescente, כִּי per affirmativam, non vero per aliam particulam mere conjunctivam reddendum est. —

Ceterum Arabicum لَ eodem modo repetitur Kor. 19, 69. 70. 71. 20, 74. 38, 88.

**) Vertas ibi: non duxit eos via, qui omnino propinquior erat (den allerdings nähern Weg, vel da er doch näher war). Nonne vero hoc *omnino*, doch idem est ac *quamvis*? cf. Kor. 29, 37. صَدَّهُمْ عَنِ ٱلسَّبِيلِ وَكَانُوا مُسْتَبْصِرِينَ (Satanas) *avertit eos a semita, li-*

pendum sit, maxime quo pacto quis rem per *nam* melius expedire sibi videri possit, plane non possum intelligere. Hoc quidem verum est, כִּי ipsum non significare *quanquam*, sed nexus propositionum talis est, ut nos ex indole nostrarum linguarum per *quanquam* idem exprimamus, quod Hebraei per solam disertam affirmationem assequi sibi visi sunt. Eandem potestatem *juxta* et *simul* ponendi habent בְּ, עַל, עִם *) et simplex וְ **) sexcenties, et non solum particulae concessivae Arabum ex eodem fonte profectae sunt, sed etiam وهو saepissime significationem concessivam habet.

Huic usui affinis est alius, quem *correctivum* appellare velim, propterea quod expressae affirmationis ea causa est, ut aliquid addat, quod non solum aeque *rectum* et verum sit atque id quod praecedit, sed proprie rectum et verum contineat et *rectius* dictum sit. Nam *corrigimus* tum, quando, alia re pro minus *recta* verave declarata, aliam ut *rectiorem*, veriorem ponimus, et addimus ***). Quatenus ea, quae praecedunt, aut minus aut plus dicunt quam verum sit, eatenus haec correctio est aut *auctio* aut *restrictio*. —

Augendi vis particulae כִּי (*potius* ex *pote*) eodem modo convenit, ut nostro particulae *ja*, vel Latinorum particulae *etiam*, ut quae per se et proprie simpliciter addat, tum addendo augeat. Quamvis etiam hic usus rarior est, attamen non videtur plane negandus esse. Certe in אַף כִּי (*quin etiam*) adest, ubi adjecto אַף energia particulae, qua super verba praecedentia per se vera, modo non sufficien-

---

cet essent (propr. et, quod certo conceditis, erant) *perspicaces*, (und sie waren doch ein kluges Volk). أَنْ etiamsi Kor. 68, 14.

*) Horum vocabulorum significatio primaria usui concessivo magis favet et propior est, quamobrem saepius sic adhibentur, quam כִּי.

**) Si וְ usurpatur omnis indicatio concessionis abest. Quid significant verba *nihilominus*, *quamquam*, *etiamsi* aliaque proprie?

***) Cum in correctione oppositio sit rectioris et minus recti, certioris et minus certi, in vertendo nos saepius particulas adversativas adhibere possumus. Ab ea oppositione, de qua supra egimus, haec ita differt, ut in illa contrarium plane tollitur, in hac praecedentia tantum accuratius describantur. cf. *verum*, *vero*, δή, δὲ.

tia emineat, tantummodo augetur *). Attamen כִּי hac significatione reperire putem e. g. Ps. 139, 4., in quo loco deus dicitur non solum facta, *verum etiam* verba et cogitata nosse.

Eodem modo se habet usus *restrictivus* particulae כִּי wenigstens doch, *certe* (cf. إِنَّمَا), ut qui, quamvis ad aliam radicis כּוּן inflexionem אַךְ transierit, tamen non prorsus negandus esse sed nonnullis cogitationum conjunctionibus fons esse videatur, licet nos, ingenio nostrarum linguarum seducti, de eo minus forte cogitemus. Quo referenda videtur pars eorum locorum, in quibus כִּי simpliciter per *quod* vertere solemus, ubi plures Viri docti de causa cogitarunt, re vero accuratius inspecta, de termino et finibus sermo est, intra quos praecedentia cohibenda sit. Sic locus Jes. 7, 13: הַמְעַט מִכֶּם הַלְאוֹת אֲנָשִׁים כִּי תַלְאוּ גַּם אֶת־אֱלֹהָי hoc modo ex indole Hebraeorum cogitandus esse videtur: Propheta videt domum regiam deum peccatis suis defatigare, ad eamque rem provocat, ut quae vera et certa sit, etsi id, quod inde concludi possit, sc. defatigationem hominum iis non sufficere, non ita verum sit **). — Simili aliqua restrictione et correctione nititur, quod poetae, quando aliquid verbis impropriis, imaginibus et oratione figurata dixerunt, se ultra veritatem neque sensu *stricto* dixisse locutos esse quodammodo confitentur et per adjectum כִּי ad rem, qualis revera sit, *strictis* verbis declarandam transeunt ***), quo denique accedit illud כִּי, quod ponitur post

---

*) Simplex אַךְ jam hanc significationem habet, quia כִּי omnino omitti potest, ubicunque minus energice loqui scriptoribus visum est. — אַף כִּי post negationem significat *multo minus*, dum negatio in cogitando supplenda est: *multo magis non* = *multo minus*, cf. arab. فَضْلًا post negationem *nedum* Lokm. fab. 32.

**) Paene videtur ac si defatigatio hominum non sufficiat vobis, quod ipsum deum peccatis vestris fatigatis.

***) Huc trahi potest etiam Ps. 90, 4.

parabolas. Nam quamquam in multis locis rationem causalem inter utramque propositionem inesse vel certe interlucere probe sciam, tamen in his locis כִּי non dicit, *quamobrem*, sed *quatenus* praecedentia verba vera sint vel videantur. Et omnis particularum vis causalis alii potestati eique non causali superstructa est, ut inde repetenda. De ea restrictione, quae per *saltem* (אַךְ) reddi deberet, minus dixerim, certe ejus nullam exemplum cogens video.

2) Parathesis porro fit ratione qualitatis duarum rerum comparatarum, et tum est comparatio proprie sic dicta, Vergleichung, جعل ل. Supra expositum est, quomodo factum esse videatur, ut verba, quae *erecte stare* significent, ad positionem (affirmationem) et similitudinem designandam translata sint. Itaque etiam in lingua Hebraica plura verba, quae proprie *statuere* significant, comparandi significationem acceperunt, qua eadem re nititur, quod una eademque radix קום, כון, quae proprie significat *erecte stare*, mater verbi esse (كَانَ), particulae affirmativae כִּי et particulae similitudinis כְּ fieri potuerit. At ipsum nostrum כִּי, ut particula affirmativa, ad hunc comparativum usum aliquantum vergit, et quodammodo medium tenet inter אֲשֶׁר et כְּ. Nam pronomen relativum, ut pronomen essentiam rerum spectat, similitudinis notiones qualitatem spectant. Est autem praeterea alius considerandi modus, ex quo aliqua certa qualitas (כ) pro essentia (אשר) alicujus rei spectatur, ad quam se refert כִּי, quae particulae in hac re respondet vocibus *ut*, *utpote*, *quippe*, ὡς, als, quibus nos pronomen relativum subnectere solemus (*utpote qui*, als welcher). Quod pronomen relativum si non minus in vertenda particula כִּי adhibemus, hoc ex ingenio nostrae linguae fit, non vero ex ingenio linguae Hebraicae, ex quo potius illud כִּי nil est, nisi *utpote*, ὡς, als, apte, sicut videtur, ver *videlicet* (הִנֵּה) exprimendum. Hujus usus exemplum, ex quo simul discrimen inter אֲשֶׁר et כִּי elucet, habes Deuter. 14, 29. וּבָא הַלֵּוִי כִּי אֵין־לוֹ חֵלֶק וְנַחֲלָה עִמָּךְ וְהַגֵּר וְהַיָּתוֹם וְהָאַלְמָנָה אֲשֶׁר בִּשְׁעָרֶיךָ וְאָכְלוּ *Et veniat*

Levita, videlicet ei (quippe, utpote cui) non est (ὡς οὐκ ἔχων, als welcher nicht hat, propr. ut talis, qui non habet) cet. *et (is) peregrinus et (is) orphanus et (ea) vidua, quae* cet.*) Non aliter Gen. 3, 19: עַד שׁוּבְךָ אֶל־הָאֲדָמָה כִּי מִמֶּנָּה לֻקָּחְתָּ *terra, quippe de ea (qua) sumtus es.* Ad hunc locum notandum est, Adamum eousque non scivisse, se ex terra sumtum esse, ideoque deus per hoc additum כִּי explicat, cur mortem ejus reditum (שׁוּב) dicat. Nam Adamus eatenus rediit in terram, quatenus ex ea prodierat (כְּמִלֻּקַּח). Postea demum res Adamo narratur verbis כִּי עָפָר — תָּשׁוּב. Lectori autem, ut cui haec res narrata a scriptore sit, dicitur vs. 23 אֲשֶׁר לֻקַּח מִשָּׁם.

3) Alia parathesis et *temporalis.* Nam eaedem res esse visae sunt, quae uno tempore evenerunt. Quamobrem in linguis haud scio an omnibus identitatis (similitudinis) particulae et pronomina de tempore adhibita sunt (cf. similis et simul). Itaque כִּי — — וְ est *(simul — —) atque*, et כִּי cum verbo finito idem est atque כְּ cum infinitivo **).

Sed ut omnis paratheseos (comparationis s. compositionis) cogitationum longe frequentissima est causalis, ita etiam particula positiva כִּי in parathesi longe frequentissime causalis est, et hoc quidem ita, ut reliquo ejus usui parathetico plus minusve hujus elementi causalis admixtum sit et ex eo interluceat. Quodsi particula nostra omni jure vertitur per *nam*, *quia*, tamen tenendum est, etiam hic כִּי ipsum, extra propositionum nexum cogitatum, non esse causale, sicut Latinorum *nam*, *quia*, quae jam per se rationem causalem indicant. Respondet potius Graeco ὡς, Latino *quippe*, *quandoquidem*, Francogallico *puisque*, sintemal, (أن *quia* Kor. 69,1.), quippe quae omnia causalem significationem tantummodo ex nexu propositionum causali accipiant. Per se כִּי nil est nisi

---

*) In quo loco si verba אֵין־חֵלֶק־לוֹ pro una notione capimus, *possessionis expers* (cf. אֵין־עֹזֵר־לוֹ , אֵין־מִסְפָּר), cernitur כִּי accedere ad significationem ejus כְּ, quod veritatis vocant.

**) כַּאֲשֶׁר, propr. *secundum rectitudinem*, quod hic pro כִּי poni potest, tempus accuratius definit, vertendum: *illo ipso tempore*, gerade als, eben wie.

eadem illa particula positiva vocibus הֲלֹא et הִנֵּה affinis, ex quibus etiam הֲלֹא ipsum, Ruth 2, 9. causaliter usurpatum, a Vulgata rectissime per *enim* vertitur (LXX *ἰδοὺ*, *videlicet*). Non minus etiam nos nostrum ja sensu causali adhibemus e. g. Gott wird uns helfen, er ist ja gütig. Sic etiam Hebraei rei probandae (i. e. ei, cujus status ratus in alia re est, quae ejus rationem continet) rem probatam adjiciebant eamque diserte affirmabant, ut sic illam confirmarent, comprobarent et quasi fundamento firmo (כֵּן, מְכוֹנָה) stabilirent (הָכִין, bestätigen, *constater*) *).

Sunt qui sibi persuadeant, se formulam מַה כִּי *quid (causae) est quod* explicasse, si dicunt, כִּי esse Latinorum *quod*. Sed falluntur. Hebraice enim cogitandum est: *Quid* (scil. *causae* cf. לָמָּה cf. Kor. 15, 54. فَبِمَ تُبَشِّرُونَ *et cum quo* (argumento) *praedicatis?*) *est? quippe* cet. Quamobrem etiam abesse potest, Jes. 3. 15: מַלָּכֶם תְּדַכְּאוּ עַמִּי *quid est vobis?* (quippe) *conteritis populum meum*, haud aliter atque apud Arabes. Sic Kor. 12, 11: مَا لَكَ لَا تَأْمَنَّا quid est tibi, (quod) nobis fidem non habes? **) (cf. *τί σοι ταυτα ποιοῦντι*) ***).

*) Significatio causalis (rationis *κατ᾽ ἐξοχήν*) in omnibus particulis, etiam iis, quibus haec significatio sola remansit, derivata et, ut ita dicam, *summa potentia* est. Nam causalitatis notio nititur notione necessitatis. Est autem necesse, hominem de omnibus necessitudinibus rerum per se spectatis prius cogitasse, quam de necessitate necessitudinum, quum necessitas nil sit nisi constans (*non cessans* cf. لزم I. IV.) necessitudo, quae post longam demum experientiam a ratione humana postulatur. Itaque ex causali alicujus particulae vi aliam potestatem derivare nolis.

**) مَا لِيَ لَا أَعْبُدُ ٱلَّذِى فَطَرَنِى *Quid (causae esse possit) mihi, (ut) non adorem eum qui me creavit?* Kor. 36, 21. ما لكم, ما لكى nulla particula sequente Kor. 37, 25. 90. 38, 62. 57, 8. 71, 12 et saepissime, pro ما لكم أَنْ 57, 10. ما لكم كَيْفَ 68, 36. Estne hoc كَى, quod etiam in كيما, لكى habes nostrum כִּי? Usus omnino longe diversus est, et tantummodo فكيف admonet Hebraici אַף כִּי.

***) כִּי in phrasi מַה — — כִּי interdum per *ut* vertitur, dum sequens

Sic opus nostrum peractum censemus. Propositum erat, ut nostrae particulae vim affirmativam s. positivam ut propriam et peculiarem vindicarem. Quamobrem in ea libelli parte, in qua mihi probatio rei sita esse videbatur, uberior, postea vero in exponendo usu derivato, qui partim satis notus et indubitatus, partim ejusmodi esset, ut quaestio magis de aliarum linguarum indole instituenda videretur, brevior et forte levior fui. Nam contentus monuisse, ad quas formas generales omnis particulae usus, qualiscunque est, ut ad fontes suos, necessario redire videretur, singularem particulae usum Lexicographis relinquendum censui.

Quam haec jam prelo subjacerent, legi Godofredi Hermanni aliquam recensionem in ephemeridibus, quibus nomen men est: Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft 1834. No. 135, ex qua nonnulla, quae ad nostram rem facere videntur, his adponam. Ibi Vir. Ill. de particula graeca ἦ haec dicit p. 1086: Es läßt sich kaum zweifeln, daß sie ursprünglich nichts anderes war, als die dritte Person des Imperfekts ἦε, es war, nach einer in der griechischen Sprache gewöhnlichen Art zu reden: *οὐκ ἄρα μοῦνον ἔην ἐρίδων γένος.* Recht deutlich zeigt sich das in der Formel ἦ *γάρ;* auf welche mit *ναί* geantwortet wird. Denn was wir durch nicht wahr? ausdrücken, sagen die Griechen war es? — — p. 1087: So sehr nun auch das anders betonte ἤ von dem circumflectirten verschieden zu seyn scheint, so ist doch leicht einzusehen, daß es eigentlich ganz dasselbe ist, aber weil es mit weniger Nachdruck gemeint ist, auch mit einem leichtern Accent betont werden mußte. Denn wenn durch ἦ entweder ein Seyn als wirklich bekräftigt, oder nach der Wirklichkeit desselben gefragt wird, so ist es einleuchtend, daß ein hypothetisches Seyn eine leichtere Be-

---

Futurum pro Conjunctivo habendum est, propr. *ita ut fieri possit, ut.* Sic Job. 3, 12 al. cf. arab. إِنَّ Kor. 15, 60. De natura vocis כִּי haec res nihil mutat.

tonung verlangte. Als B
angegeben, sie lassen sich a
führen oder und als. —
modo ex Optativo verbi
certe primarias significatio
cos ex verbo esse profecta
de aliis Graecis vocibus st
tioni satis faveat. Linguar
bylonicam exstruunt, dicta
addita: Die Partikeln sind
und nur dann kann man h
man erst durch vieles Lesen
ben hat von der Kraft jeder P
andern ähnlichen Partikeln. -
Vergleichung anderer und ve
gehörig kennt; sehr gefährlich
Sprachen, die man nur we
Denn einige Vocabeln aus e
terbuche geben noch keine Ke

Add

p. 7. subjice: Per omne pr
essentiam ab omni qualitate se
inter ipsum et loquentem interce
que, qualiscunque demum ejus si
ego, modo *tu*, modo ille e. s. p.
sint hae notiones a concretis no
necessaria earum derivatio a ver
bus sit, simul perspicitur.

p. 17, ubi copulae ו mentio
lis ab Arabibus promiscue dicatu

p. 18. adjice: Ut vero הלל
rem, et tum translate de eo, qu
sic etiam ההה factum esse videt
hominem, qui caecus natus fueri
ret, dixisse, hunc colorem ejusm

p. 19 in notam insere: س

p. 20. lin. 11 pro לְהִין leg
interrogative usurpatur. Passim

lls Bedeutungen des $\mathring{\eta}$ werden mehrere
sich aber ganz natürlich auf zwei zurück-
s. — Sic vero εἰ (si = sit?) eodem
verbi εἶναι factum esse posset? Tum
ficationes particulae כי etiam apud Grae-
rofectas haberemus. Nescio quid forte
ibus statui possit, quod nostrae disputa-
inguarum confusoribus, qui turrem Ba-
, dicta sunt Viri Ill. verba eodem loco
ln sind in jeder Sprache das schwerste,
man hoffen, sie richtig zu erklären, wenn
Lesen sich ein bestimmtes Gefühl erwor-
ft jeder Partikel und ihrem Unterschiede von
tikeln. — — Sehr nützlich ist dabei die
und verwandter Sprachen, wenn man sie
efährlich aber ist die Etymologie aus den-
nur wenig oder vielleicht gar nicht kennt.
n aus einer Grammatik oder einem Wör-
eine Kenntniß einer Sprache. —

---

ddenda.

omne pronomen aliquis indicatur, cujus solam
itate separatim cogitatam et *rationem*, quae
intercedit, spectamus, quamobrem unusquis-
ejus singularis natura et qualitas est, modo
e. s. p. esse potest. Inde et quam remotae
retis notionibus primaevae linguae, et quam
o a verbis *esse*, *rem*, *ratum* esse, significanti-

mentio fit, adde: Inde fit, ut in jurandi formu-
dicuntur بالله, تالله, والله.

ero הלל proprie dictum est de eo, quod au-
eo, quod visum acriter et vehementer tangit,
e videtur ex צוח, صاح, صخ. Narratur,
s fuerit, quum pannum rubrum tactu explora-
ejusmodi esse, ac si quis buccina caneret.

e: لَيْتَ, لَيْسَ.

לָהּ lege הַלֵּין, et adde: הַל apud Arabes
assim puncta vocalia vi preli fracta exciderunt.
